3 1761 08824719 2
UNIV. OF
TORONTO
LIBRARY

Toronto University Library

Presented by

Messrs. Joseph Baer & Co.

through the Committee formed in
The Old Country

to aid in replacing the loss caused by
The disastrous Fire of February the 14th 1890

LGr
S241V

SAPPHVS LESBIAE

CARMINA

ET

FRAGMENTA

RECENSVIT

COMMENTARIO ILLVSTRAVIT,

SCHEMATA MVSICA ADIECIT

ET

INDICES CONFECIT

HENR. FRID. MAGNVS VOLGER,

PAEDAGOGII REGII ILFELDENSIS COLLABORATOR.

LIPSIAE, CIƆIƆCCCX

IN LIBRARIA WEIDMANNIA.

14602
4/8/91

VIRIS CELEBERRIMIS

JVSTO CHRIST. DE LEIST,

CHR. GVIL. MITSCHERLICH

ET

FRID. GVIL. DOERING

HANCCE

SAPPHVS EDITIONEM

D. D. D.

AVCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/carminaetfragmen00sapp

PRAEFATIO.

In nova hac *Fragmentorum Sapphicorum* editione paranda neutiquam opus inane suscepisse mihi videor. Quamvis enim aevi recentis docti viri plurimos Graecorum scriptores luculenter tractaverint et in lucem ediderint, Lyricorum tamen fragmenta maxima ex parte intacta reliquerunt, ac, si quando carminum minorum collectionibus ea insererent, *pauca* tantum illorum vulgo praebebant, de *omnium* collectione, emendatione et separata editione rarius cogitarunt, laboris, puto, taedio, quippe qui minus est jucundus, et satis difficilis ac ingratus, at altera tamen parte perutilis. Eodem vero modo et *Sapphus duo*

odaria ac *paucula fragmenta* in multis quidem aliis exhibebantur libris (*); sed poetriae *plura carmina*, vel ejus *quae supersunt omnia* bis modo cum aliorum una Melicorum carminibus colligebantur, semel *seorsim* in lucem prodebantur. Quorum illud quidem *H. Stephanus* et *F. Ursinus*, hoc *J. C. Wolfius* instituere. Interim *Stephani* collectio valde adhuc imperfecta, *Ursini* liber rarissimus, *Wolfii* jam rarior fieri incipit, praetereaque in hisce omnibus nostrorum temporum desideriis haud amplius satisfactum, metra male constituta vel omnino neglecta, lectiones depravatae, multaque false explicata, ut et in ceteris, quos diximus, libris, nonnulla tantum ex Sapphicis continentibus. Quae omnia sane, de nova Sapphus, poetriarum Graecarum facile principis, carminum editione serio cogitare, me monebant, quam nunc, ad finem perductam, eruditorum subjicio examini, et in

(*) Recensum eorum vid. infr. in Diatribe de Sapphus vita et scriptis ad calc.

qua concinnanda me hanc fere rationem secutum esse profiteor.

Summa consilii fuit, optima quaeque ex aliis Sapphus interpretibus me veterioribus servare, eaque meis ipsius accessionibus amplificare, aliis vero in locis, ubi minus probata, ab illis dicta aut facta, reperiebam, meliora quae videbantur supponere. Non igitur me piguit, citata in rem apprime facientia repetiisse, aut observationem aliquam utilem aliis dixisse verbis; nam talia omittere re vera fraudi mihi duxissem. Quod cum semel summatim constituissem, ita in ordinando toto perrexi.

Praemisi Diatriben de Sapphus vita et scriptis, jam ante aliquod tempus seorsim typis descriptam; nunc vero, quibusdam immutationibus adhibitis, repetitam, et a typothetarum vitiis, quibus tunc laborabat, purgatam, in qua plenam collectionem omnium notitiarum ad poetriam pertinentium deponere studui, et in qua id praesertim egi, ut nar-

rationem de duabus Sapphonibus expenderem refelleremque, Sapphus et Anacreontis synchronismum monstrarem, ac plures etiam aliorum de Sapphone errores corrigerem. Fragmentorum ipsorum distributio, ap. *Ursinum* et *Wolfium* obvia, non placuit, in qua scilicet omnia sine ordine mixta et confusa. Equidem ideo primo duas poetriae odas et tria epigrammata exhibui, tumque fragmenta secundum varios, qui nobis illa servarunt, auctores juxta apposui, sed duplici iterum ordine, in quo primam sedem occupant ea, quae uno seu pluribus consistunt versibus, secundam ea, quae singula tantum ex Sapphone continent verba; quibus simul adjunxi loca, in quibus scriptores notitiam aliquam praebent de singulis quas carminibus tractaverit poetria rebus, vel in quibus Sapphus verbis aliquid efferunt, nam haec omnia ad plenam penum Sapphicam pertinere censui.

Magnam impendi curam in fragmentis ad metrum suum rite redigendis, cujus tamen

ratio interdum, ubi unus tantum exstabat versus, vel ubi verba valde erant depravata, perspici omnino haud poterat. Quem quidem laborem operis partem longe difficillimam fuisse libenter confiteor. Jam vero quod attinet ad principia, quibus in dispescendis versibus nisus sum, repetenda illa sunt ex *J. H. Vossii* et *A. Apelii* novissimis de rhythmo et metris disquisitionibus, quas ille in libro suo: *Zeitmessung der Deutschen Sprache*, hic in Commentatione sua perdocta: *Ueber Rhythmus und Metrum*, Ephemeridibus Musicis Lipsiensibus ad annum 1808 inserta, exposuit, quorum Virorum Praeclarissimorum vestigia nos ulterius prosecuti sumus. Hi nempe persuasum sibi habent, musicen Graecorum nullo modo numeris suis (*Takt*) fuisse destitutam, et omnia igitur Graecorum metra ad illos esse exigenda. In qua quidem affirmatione neutiquam falluntur, nam sic demum totius prosodiae ac metrorum naturam clarissime perspicere, et poetarum licentias satis probe explicare li-

cet. Omnino autem musice sine numeris prorsus cogitari nequit, nec sane quidquam nisi rudis indigestaque foret moles, multo minus hominibus, haud omni animi cultu destitutis, placeat, sicut ingressus temulenti neminem capit, at saltatoris pedum concinnus motus omnes delectat. Et re vera jam denominatio *ποῦς*, quam Graeci singulis versuum membris ìndiderunt, numerum in veterum musica exstitisse probat, nam illa exinde derivanda, quod is, qui carmen cecinit, pede simul terrae appulso numeros denotabat. Adjiciam locum Persii Sat. V. 122. *nec, quum sis cetera fossor, Tres tantum ad numeros Satyri moveare Batylli*, ubi numeri procul dubio de eo quod nos *Takt* vocamus accipiendi, ut jam vidit *Persii* editor praestantissimus *Koenigius* p. 122.

Numerus autem apud omnes populos, qui musicen excolunt, idem esse debet, quandoquidem in rerum natura est constitutus, trifarius nempe, quem latine numerum *biqua-*

drantem ($\frac{2}{4}$), *terquadrantem* ($\frac{3}{4}$) et *teroctantem* ($\frac{3}{8}$) — qui duplicatus est *sexoctans* — nominare liceat. Et ita apud Graecos quoque fuisse, metra eorum docent, quae ex uno vel altero horum numerorum sunt metienda. Dolendum interim, nos ob tenebras, quibus musica Graecorum hodiedum est obducta, nondum dicere posse, quibus nominibus Graeci ipsorum numeros vocaverint, qui igitur, dum clarior illi musicae affulgeat lux, recentibus nominibus erunt absolvendi. Schemata vero musica ipsa, in quibus metrorum Sapphicorum numeri demonstrantur, ad calcem operis adjunxi.

Non tamen crediderim, rhythmum in Sapphus carminibus ubique sic se habuisse, ut ego eum constitui, nam in nonnullis verbis, ex carmine aliquo decerptis, plura sane metra et varius numerus simul locum obtinere potest, id quod plura ex Sapphicis fragmentis aperte probant. Sufficiat hactenus, conjecturas probabiles assecutum esse, et unum sal-

tem in manibus tenere metrum verisimile, quod ob integri carminis jacturam aliquantulum nos consoletur, re vera demum nobis persuadeat, fragmentum superstes ad carmen aliquod quondam pertinuisse, et omnino majorem in lectione voluptatem nobis pariat, quando id, quod a propria forma tantum aberraverat (i. e. tanquam prosa oratio oculis erat subjectum), ei rursus appropinquatum (h. e. ad metrum aliquod redactum) perspicimus.

Cum Sapphum etiam morem, in fine versuum verborum dissecandorum, et unius vel plurium syllabarum superstitum ad versum sequentem trahendarum, servasse deprehenderem (*), ad eum aliquoties in fragmentorum distributione metrica refugi.

Textum compluribus locis correxi, metri praesertim adductus cura, quod interdum facile sanabatur digammate Aeolico interposito,

(*) Vid. Carm. I. v. 11.

Πύκνα δινέοντες ἀπ' ὠραν' ὠθέρος
διὰ μέσσω.

vocali ante vocalem, seu augmento eliso, vel consona duplicata, nam talia a Grammaticis pro lubitu esse inserta seu ejecta satis constat.

Aliquoties paululum liberius voces transponere, seu lacunas inter eas statuere cogebar, non tamen auctoritate in eo destitutus, nam pedestres scriptores in versibus e poetis citandis, de metro parum sollicitos, saepius verba in alium redigere ordinem, vel certa quaedam non in rem suam facientia omittere solere sciebam (exempla passim laudavit *Valcken.* ad *Eurip. Phoeniss.*); ut taceam Codices, quorum culpa quam multa in auctoribus veterum, praesertim quod attinet ad poetarum fragmenta ab illis servata, exciderint, vel saltem depravata sint, in vulgus notum.

In interpretatioue ipsa et conjecturis locum dedi, ut quae in fragmentis haud aspernandae, dum pro certis esse debeant. Saepius igitur nexum aliquem verisimilem cum sententia praecedente, quae periit, restitui, vel

sententiam aliquam pendentem supplevi, vel, ad quod genus carminum unum sive alterum fragmentum pertinere videatur, docui. Vulgo primo textum explicui, tunc de lectionis varietate dixi; aliquoties tamen ab hoc more mihi devertendum sensi; iis scilicet locis, quae valde corrupta erant, prius de corruptelis et lectionibus variantibus monuisse aptius videbatur. Interdum quoque commoditatibus minus peritorum, qui haec fragmenta, quamvis doctioribus proprie destinata, adire velint, inservivi, quorum in gratiam nonnulla, quae alias omisissem, adjeci.

Dabam e Museo Ilfeldae Mense Jan. MDCCCX.

Volger.

DIATRIBE
HISTORICO-CRITICA

DE

SAPPHUS POETRIAE

VITA ET SCRIPTIS.

SAPPHUS
POETRIAE VITA. (*)

Sappho (graece Σαπφὼ, vel, ut alii dialecti causa malunt, Ψαπφὼ) Mytilenis, insulae Lesbi nobili urbe, nata est. Id probatissimi uno tradunt ore scriptores. Attamen hic jam dif-

(*) De hac vita hi fere egerunt scriptores: Lilius Gregorius Gyraldus Dialog. IX. de poetarum historia T. II. Oper. p. 456. sqq. Vossius. de poetis Graec. c. 3. Lud. Nonnius Commentar. ad Hubert. Goltzii Numism. Graeciae p. 212. sq. et p. 246. Anna Dacieria et Longepetraeus in Anacreontis editionis fronte. Laur. Crassus Histor. Poet. Graecor., italice conscripta p. 448. Joh. Laurenberg Graecia Antiq. T. IV. p. 61. Thesaur. Gronov. Ubbo Emmius de Graecia Vet. ib. p. 167. Tanaq. Faber Vit. Poet. Graec. ib. T. X p. 755. Joseph. Barberius de miseria Poet. Graec. ib. p. 847. Andr. Thevetus Histor. Illustr. et Erudit. hominum, gallice scripta T. I. p. 221. Petr. Bailius Dictionar. Histor. et Critic. T. IV. p. 139. sq. edit. ab anno 1740., cujus libri epitome quoque exstat Germanica sub titulo: Petr. Bayle historisch-kritisches Wörterbuch für Dichterfreunde, ubi vid. s. v. Sappho. Jac. de Wilde

ficultas aliqua intercedit. Nonnulli scilicet praeter Sapphum Mytilenensem de altera quoque, ex Eresso, alia Lesbi urbe, oriunda, loquuntur; quaeritur ideo, num haec a poetria diversa fuerit mulier? Quod ut facilius decerni possit, brevis ante omnia comparatio inter illos scriptores, qui duas Sapphones commemorant, instituenda, eorumque opiniones erunt audiendae.

Sunt *Athenaeus, Aelianus, Suidas*. Prior *Deipnos.* XIII. p. 596. E. *Casaub.* a *Sapphone poetria* distinguit aliam, Eressiam, *meretricem*, hanc illam esse dicens, quae Phaonis amore fuerit capta. Ei congruentur lo-

---

Select. Numism. Antiq. ad tab. VIII. p. 68. Andr. Bailletus Judic. de praecipuis operibus auctorum, gallice, T. III. p. 104. ed. Amstel. 1725. Blum (praeside Gottfr. Oleario) Dissertat. de Poetr. Graec. §. 65. p. 58., quam et vid. ap. Wolf. in Oct. Poetr. Fragm. p. 181. sqq. Sam. Mursinna Biograph. Classic. ex lingua Angl. in Germ. translata T. I. p. 51. sqq. Wolfius in Sapphus editione p. I. sqq. Josua Barnesius Vit. Anacr. p. 28. de Larrey Histoire des septs sages T. I. p. 159. Wahl Vit. Sapph., versioni Germanicae carminum Anacr. et Sapph. praemissa. Cramerus Commentat. de patria Sapphus. Idem Diatr. de Synchron. Sapph. et Anacr. Saxius Onomast. Litter. T. I. p. 18. Born in Anacreontis fronte p. 38. sq. Fabricius Bibl. Graec. T. II. p. 137. sqq. Harl.

quitur *Aelianus Var. Hist.* XII. 19.; at ab utroque, imo ab omnibus aberrat *Suidas* v. *Σαπφὼ* et *Φάων*, qui duas quidem pariter statuit Sapphones, lyricam et psaltriam, sed qui illam dicit Eressiam, hanc Mytilenaeam et propter Phaonis amorem in mare e Leucata se dejicientem. — Hi adeo non duas tantum agnoscunt Sapphones, sed etiam illam, quam meretricem nominant, Phaonis amasiam nuncupant; qua in re iterum iis adversantur duo ex unam tantum Sapphum statuentibus, qui de illius cum Phaone tradunt rebus amatoriis, *Palaephatus*, puta, *de Incredib.* c. 49., qui Sapphum in Phaonis amorem saepe carmina cecinisse ait, ac ita de *poetria Sapphone* se loqui satis demonstrat, et *Ovidius Epist. Heroid.* XV., quem ubique *Sapphum poetriam* de ipsius erga Phaonem amore loquentem inducere perspicimus.

Ex hac trium scriptorum primo loco laudatorum inter semet ipsos et ab aliis dissensione jam satis certe colligere licet, unam tantum exstitisse Sapphonem, nisi etiam praeterea a scriptoribus veterioribus ac fide probatissimis confirmaretur. Quamvis igitur plures mulieres, Sapphus nomen gerentes, omnino vixisse posse alias concedam, eas tamen duas, de quibus hic agitur, re vera unam eandemque, poetriam scilicet, sed Phaonis simul

amori deditam, esse lubenter credam. E contrariam rationem defendentibus nihil praesertim *Suidae* me movet auctoritas, cujus nempe fides historica ea est, quae probari semper velit. Aelianus vero ne certus quidem est in affirmatione sua; dicit solummodo: *πυνθάνομαι, ὅτι καὶ ἑτέρα Σαπφὼ ἐγένετο ἐν Λέσβῳ*, exponit igitur, quae ab uno vel altero audierit, notitiam certam non habet.

Narratio interim de duabus Sapphonibus exinde tempore sequenti originem poterat trahere, si *Sappho poetria*, Mytilenis quamvis nata, postea Eressi habitabat, fortassis etiam ob celebritatem civitatis jure ibi donabatur (cf. *Blum*, praeside *Oleario*, *Dissertat. de Poetr. Graec.* ap. *Wolf. Fragm. Oct. Poetr.* p. 183.). Satis probabilis mihi videtur conjectura, maritum ejus (de quo postea) fortunarum sedem habuisse Eressi, et poetriam ideo hic loci cum illo commoratam esse.

Pari modo serior sane est fictio, alteram duarum Sapphonum fuisse meretricem. Hujus commenti originem satis probe exposuisse videri possit *Blum* l. c., qui viros quosdam credit bonos, *Socratis* maxime et *Platonis* admiratores, cum viderent, *καλὴν* passim et *σόφὴν* apud illos scriptores poetriam nostram audire, varioque ornari laudum genere, indignum esse reputantes, foeminam monstrosae libidi-

nis a tantis viris tantas consequi laudes, ex controversia de patria ejus captasse occasionem duarum fingendarum, alterius meretricis, alterius poetriae. Ego tamen simpliciter censeo, poetriae vulgo notas res amatorias, in quas Eressi implicita erat, meretricis nomen ei parasse apud posteros.

At dicat quis, Sapphus facies non est eadem in superstitibus monumentis, in quibus est expressa. Hoc nihil probat: quis enim credere possit, artifices viventium figuras rite semper expressisse? In nummorum praesertim imaginibus nulla talis diligentia exspectanda. Valde porro dubium est, an omnes hi nummi, qui Sapphus figuram exhibere dicuntur, re vera eam exhibeant. Sed fac, ita esse, fac, artifices in exprimendis vultibus nihil peccasse, inde tunc sequeretur, vel octo exstitisse Sapphones celebres et dignas, quae nummis insculperentur, nullus enim vultuum in monumentis modo commemoratis alteri respondet. Id vero sponte statuere velle absurditas aliqua foret, cum nullibi apud veteres tot Sapphones celebres occurrant.

Sapphus patri nomen fuit *Scamandronymus*. cf. *Herod.* II. c. 135. *Aelian.* et *Suid.* ll. cc., quamquam et hujus rei variae exstiterunt opiniones in serioribus temporibus, *Suidas* etenim alios *Simonem*, alios *Eunomium*,

alios *Eerygium*, alios *Ecrytum*, alios *Semum*, alios *Camonem*, alios *Etarchum*, alios denique *Scamandronymum* Sapphus patrem dicere tradit. Idem scriptor poetriae matrem nominat *Clidem*, in quo, cum nullibi aliud quidquam occurrat, acquiescere licet. Fratres habuit *Charaxum*, *Larichum*, *Eurygium*; cf. *Herod.* et *Suid.* ll. cc. *Eustath.* ad *Il.* *υ.* T. II. p. 1280, 27. *Bas. Athen.* X. p. 424. sq. Nupsit autem *Cercolae* cuidam, homini Andrio ditissimo, quocum genuit filiam, aviae nomine denominatam. vid. *Suid.* l. c. *Hephaestion* p. 55. in fragmento *Sapphoni* adscribendo:

Ἐστί μοι καλὰ πάϊς, χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν
Ἐμφερῆ ἔχοισα μορφὴν, Κλεΐς ἀγαπετά.

De hac filia et *Maximus Tyrius Dissertat.* XXIV. p. 297. *Markl.* (vid. *Fragm.* XLIV.) ac *Ovidius Epist. Heroid.* XV. 70. represso tantum nomine loquuntur.

Vixit Sappho sub Alyatte, Lydorum rege, cf. *Athen.* XIII. p. 599. C., florente Solone, Atheniensium legislatore, secundum *Suidam* (v. *Σαπφώ*) Olympiade XLII., secundum *Eusebium* (*Chronic.* p. 136.) Olympiade XLIV. Ultimum arripuit *Corsinus Fast. Attic.* T. III. p. 67., qui poetriam in annum u. c. 150. reponit; quem secutus *Saxius Onom. Litter.* T. I. p. 18. Floruit igitur annis fere sexcen-

tis ante Chr. nat. Falso autem *Cedrenus Annal.* p. 82. ed. *Paris.* Sapphus aetatem refert ad Cranaúm, Atheniensium regem, hic enim illa multo vixit maturius.

Alcaeum Nostrae exstitisse aequalem nemo facile eat inficias, cum veterum de ea re testimonia adsint aperta, cf. *Aristot. Rhetor.* I. 9. *Suid.* et *Euseb.* ll. cc. *Strabo* XIII. p. 617. ed. *Casaub.* 1ma. Id quoque patet, comparato ipso *Alcaeo* ap. *Hephaest.* p. 47. cum *Ovidio Epist. Heroid.* XV. 29., quibus in locis Alcaeus Sapphum, Sapphoque Alcaeum commemorat, id quod prae ceteris urgere soleo, cum utrumque simul vixisse debuisse luce clarius probet. Non enim potest objici, Ovidium omnino Sapphum Alcaei mentionem facientem inducere potuisse, quamvis illa serior vixerit, quod altera parte Alcaeus ipse poetriam nominat, eamque igitur cognovit. Hunc synchronismum ex istis fortasse locis perspicere licet, ubi Sapphus et Alcaei nomina una semper adponuntur, qualia sunt *Dionys. Halic.* de *Ord. Verb.* T. V. p. 151. Reisk. *Athen.* XV. p. 674. C. *Aristid. Epitaph. Alex.* T. I. p. 85. *Jebb. Pollux* VI. 19. §. 107. *Eustath.* ad *Il.* *β.* p. 247, 20. *Horat. Epist.* I. 19. 28., quamquam huic argumento parum fidei adjiciam. — Praeter Alcaeum *Suidas* l. c. Stesichorum etiam ac Pittacum Nostrae coaevos appellat

Maximopere vero inter doctos jam est disputatum, utrum Anacreon Sapphus aequalis et amator fuerit, nec ne. Auctor litis est *Athenaeus* XIII. p. 598. sq., qui ex Hermesianactis Colophonii, veteris poetae, elegiis hunc de Anacreontis erga Sapphum amore citat locum:

Καὶ γὰρ τὴν (sc. *Σαπφώ*) *ὁ μελιχρὸς ἐφωμίλησ᾽ Ἀνακρείων,*
Στελλομένην πολλαῖς ἅμμιγα Λεσβιάσιν.
Φοίτα δ᾽ ἄλλοτε μὲν προλιπὼν Σάμον, ἄλλοτε δ᾽ αὐτὴν
Οἰνηρὴν δόρασιν κεκλιμένην πατρίδα,
Λέσβον ἐς εὔοινον. —

at Hermesianactem in iis falli autumat, quod Anacreontem et Sapphum coaevos faciat, cum haec sub Alyatte potius, Croesi patre, ille sub Cyro et Polycrate vixerit. Porro Athenaeus Chamaeleontem in libro de Sappho tradere ait, quosdam hos versus ab Anacreonte in Sapphum esse exaratos affirmare:

Φέρ᾽ αἶρέ με πορφυρέῃ
Ἐνιβάλλων, χρυσοκόμης
Ἔρως, ἐν νεφέλῃ,
Ποικίλησι λαμβάνων πτερύγεσσι·
Σὰ γὰρ φίλτρ᾽ ἐμὸν ἦτορ
Συμπαίζειν προκαλεῖται·

Ἡ δ', ἔστιν γὰρ ἀπ' εὐκτίτȣ
Λέσβου, τὴν μὲν ἐμὴν κόμην,
Λευκὴ γὰρ, καταμέμφεται,
Πρὸς δ' ἄλλον τινὰ χάσκει.

Sapphum contra haec respondisse versibus:

Κῆνον, ὦ χρυσόθρονε Μοῖσ', ἔνισπες
Ὕμνον, ἐκ τᾶς καλλιγύναικος ἐσθλᾶς
Τήϊος χώρας ὃν ἄειδε τερπνῶς
Πρέσβυς ἀγαυός.

ejus tamen hoc carmen non esse, neminem latere. Se Hermesianactem per lusum de Anacreontis amore id scripsisse putare, sicut et Diphilus comicus in fabula: *Sappho*, amatores ejus induxerit Archilochum et Hipponactem. Idem *Athenaeus* XIV. p. 635. C. Sappho Anacreonte nominat veteriorem, ac *Pausanias Attic.* c. 25. T. I. p. 93. Fac. Anacreontem — ut vulgo interpretantur — primum post Lesbiam Sappho magnam carminum suorum partem in canendo amore consumsisse ait. His igitur veterum argumentis fulti Sapphum et Anacreontem aequales fuisse non potuisse arbitrantur docti viri, nominatim id contendit *Bailius Lex. Histor. et Critic.* v. *Sappho*, *Anna Dacieria* in *Anacreontis vita* sub fin. et *Wolfius Vit. Sapph.* p. VI. Contrariam autem partem praesertim *Barnesius Vit. Anacr.* p. XXVIII. et *Cramerus Diatr.*

de Synchron. Sapph. et Anacr. defendunt, ac, omnibus bene expensis, non possumus quin etiam nos horum judicio adsentiamus (quamvis non iisdem argumentis freti) et Sapphum Anacreontemque fuisse aequales statuamus. Rationes has apponimus.

Non est, cur credamus, Hermesianactem falsum esse, dum ambos una vixisse autumat. Ille Athenaeo multo erat veterior, rem igitur multo accuratius ipso Athenaeo tenere, et veritatem praedicare poterat. Per lusum de Anacreontis amore hoc certissime non scripsit, quam quidem suspicionem verba ipsa nullo modo suppeditant. Nec omnino ab Athenaeo recte Diphili exemplum poterat apponi, hic enim fuit comicus, cui *quidlibet audendi fuit aequa potestas*, Hermesianax contra poeta elegiographus, cui angustior campus in fingendis rebus aperiebatur. De Chamaeleontis porro narratione quid judicet Athenaeus, addidit nihil, eoque ipso tacite demonstrare videtur, se illius fidem in dubium vocare non posse; nihil igitur impedit, quo minus Anacreontem re vera amasiam Sapphum versibus laudatis cecinisse putemus.

Concedam Athenaeo, Anacreontem sub Cyro et Polycrate, Sapphum sub Alyatte vixisse, sed tamen simul affirmaverim, Anacreontem Alyattis quoque aequalem et Sap-

phone fuisse veteriorem. Hoc ultimum ex ipsius Anacreontis ap. Chamaeleontem videmus versibus; id porro patet ex Sapphus fragmento ap. *Stob. Floril.* LXXI. p. 291. *Grot.* obvio (vid. *Fragm.* LXXXVII.), in quo poetria Anacreontem alloqui est putanda. Si autem veterior fuit Anacreon, exinde etiam cum Sapphone sub Alyatte vitam egisse debet, illam enim ad id tempus refert Athenaeus. Causam interim video, cur hic scriptor credidisse potuisset, Anacreontem sub Polycrate et Cyro tantum vixisse. Sappho videlicet sub Alyatte maxime floruit et circa annum jam quadragesimum diem obiit supremum (vid. infr.), Anacreon contra Alyatte jam mortuo sub Polycrate praesertim famam sibi conciliavit et aetatis annum octogesimum quintum attigit, sicut *Lucianus Macrob.* c. 10. T. VIII. p. 119. *Bip.* memoriae tradit, qui hominibus longaevis eum adnumerat. Cum Anacreon ideo Sapphoni diu adhuc esset superstes, facile Athenaeus in eum poterat induci errorem (*), poetriam fuisse veteriorem, cum tamen non nisi prior fatis cederet, minor esset natu.

Sed exactius hunc synchronismum constitui posse prorsus despero, cum annus, quo

(*) Qui etiam locum habet *Deipn.* XIV. p. 635. C., ubi verba: *ἥτις ἐστὶν Ἀνακρέοντος πρεσβυτέρη,* ipsius sunt Athenaei, non Menaechmi Sicyonii, ex quo istum citat locum.

natus et mortuus sit Anacreon, plane caligine obrutus jaceat. Nullo igitur modo hoc a me impetro, ut Sapphus et Anacreontis tabulam probem synchronisticam, quam *Cramerus Diatr.* p. XIX. proposuit; nam quae in illa, in illaque explicanda affirmat, re vera quam maxime sunt perturbata et aliis scriptoribus repugnantia. Tempus praesertim obitus Anacreontis in tabula ejus respuendum censeo. Illud nempe inter Ol. LVII. et LVIII. ponit, ac Ol. LIX. secundum ejus rationem Polycrates demum potitur Samo aliisque insulis et civitatibus. Ante hanc igitur expugnationem Anacreontem ad se arcessivit? At *Pausanias Attic.* c. 2. T. I. p. 4. de Polycrate, Anacreontis institutione fruente, ita fatur: *καὶ Πολυκράτει τυραννοῦντι Ἀνακρέων παρῆν.* Imperium ideo demum consecutus poetam secum habuit, id quod ex tota etiam de Polycrate patet narratione, apud *Herodotum* III. c. 121. et *Aelianum V.H.* IX. 4. obvia; quo ultimo loco Polycratis epitheton *ὁ Σάμιος* supplendum per *τύραννος*, quia credibile non fit, Polycratem ante regnum susceptum, cum, ut *Herodoti* l. c. verbis utar, *ἐπιχώριος* mere adhuc esset, Anacreontem Samum jam vocasse tanquam ipsius magistrum. Vide sis etiam *Max. Tyr. Dissertat.* XXI. — Quin adeo superstes fuit Anacreonti? At Polycrates haud diu

post rem ab *Herodoto* l. l. traditam est occisus ab Oroete, eoque interfecto Hipparchus, Atheniensium princeps, Anacreonti navem misit quinquaginta remorum, qua vectus est Athenas (cf. *Plat. Hipparch.* T. V. p. 262. *Bip.*), ubi vitam egit, donec Hipparchus ab Harmodio et Aristogitone erat interfectus; quo facto Athenas rursus dereliquit et alio loco, nescio quo, reliquum vitae tempus otio transegit. Vel decem igitur et quod excurrit annos post Polycratem occisum superstes fuisse potest.

Nec obstat huic synchronismo *Pausanias Attic.* c. 25. T. I. p. 95. Si enim ita explicatur, ut Anacreontem primum post Sapphonem Lesbiam versus amatorios composuisse narrare credatur, ipsum hoc recte potest sese habere, quamvis Anacreon esset veterior. Sappho nempe maturiori vitae aetate amorem cecinit, Anacreon, ejus exemplum secutus, seriori. Sed ne sic quidem Pausaniae locum acceperim, mutata enim aliquantulum interpunctione vulgari, sensus longe diversus existit. Pro: *τοῦδε τοῦ Ξανθίππου πλησίον ἕστηκεν Ἀνακρέων ὁ Τήϊος, πρῶτος μετὰ Σαπφὼ τὴν Λεσβίαν τὰ πολλὰ ὧν ἔγραψεν ἐρωτικὰ ποιήσας*, legamus modo: *τοῦδε — ὁ Τήϊος, πρῶτος μετὰ Σαπφὼ τὴν Λεσβίαν, τὰ πολλὰ κ. τ. λ.*, et tunc *πρῶτος μ. Σ.* respiciet locum, quo Anacreontis statua fuit erecta: primum

illa locum tenebat *post* (i. e. *pone*) Sapphus Lesbiae statuam. Jam simul eo apparet, et poetriae statuam ibi exstitisse.

Non minus est disputatum, an Sappho una cum Erinna vixerit, nec ne. Vixisse affirmant *Suidas* v. *Ἠρίννα*, *Eustath.* ad *Il. β.* p. 247, 20. et 30., ac *Schol.* ad *Antholog. Graec.* p. 135. *Wechel.*; sed *Eusebius Chron.* p. 136. et *Syncellus Chron.* p. 260. *Paris.* Olympiade CVI. ponunt Erinnam, quo tempore degit Alexander Magnus. Utri horum majorem habeam fidem, incerta stat sententia, fortasse tamen Eusebio et Syncello magis credendum, quippe veterioribus testibus, qui propius semper ad veritatem accedere possunt. Id quidem pro certis esto, Erinnam, cum illius *εἰς Ῥώμην* ode Sapphico metro sit composita, poetriae nostrae cognovisse metra et carmina, hac igitur non maturius vitam agere potuisse.

Familiares Sapphus a *Maximo Tyrio Dissertat.* XXIV. p. 297. hae proponuntur: *Gyrinna*, *Atthis*, *Anactorie*, *Gorgone*, *Andromeda*, praeter quas ap. *Ovidium Heroid. Epist.* XV. 19. videmus *Cydno*, ap. *Suidam* v. *Σαπφώ* *Telesillam* ac *Megaram* et ap. *Philostratum Vit. Apollon.* I. c. 30. *Damophylam.* Ejus vel discipulas exstitisse, idem *Philostratus*, nec non *Suidas* locis modo allatis memoriae tradidere, quarum hic tres recitat,

Anagoram Milesiam, *Gongylam Colophoniam*, *Eunicam Salaminiam*; quibus adnumeres quartam, *Gellonem Lesbiam*, a *Zenobio Proverb.* III. 3. (ap. *Schott. Adag.* p. 54.) allatam. Atthidis, Gyrinnae atque Andromedae ipsa in fragmentis mentionem facit. Volumina etiam sua sodalium loco habuisse addit *Aristoxenus* ap. *Porphyr.* ad *Horat. Serm.* II. 1. 30.

Venio nunc ad *indolem* et *mores* Sapphus. Si veterum de ea recensemus testimonia quam plurima, eam foeminam salacissimam et ad libidinem pronissimam fuisse deprehendimus.*) Hoc interim ab eo potissimum tempore intelligi volo, quo morte amisit maritum Cercolam, dehinc enim pariter in multos pueros atque puellas exarsit. Ejus autem amores his fere locis tanguntur. Ipsa apud Ovidium l. c. v. 17. haec de se praedicat:

Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno,
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis,
Atque aliae centum, quas non sine crimine amavi.

et v. 79.

Molle meum levibusque cor est violabile telis,

(*) Lesbii omnino tanquam gens voluptatibus et luxuriae dedita erant noti, ita ut adeo verbum λεσβίζειν effingeretur, cui notionem τοῦ *luxuriari* injunxerunt.

Et semper causa est, cur ego semper amem.

ut alia hujus carminis praetermittam loca, ubi furores amatorios, quibus correpta sit, aperit. *Plutarchus* de *Pythiae Orac.* T. IX. p. 287. *Hutt.* poetriam hoc modo acriter perstringit: *τί δὲ ἀπολείπει τȣ̃ λέγοντος, ἐρωτικὴν μόνην γεγονέναι Σαπφὼ γυναικῶν, ὅ μαντικὴν μόνην φάσκων γεγονέναι Σίβυλλαν καὶ Ἀριστονίκαν.* *Tatianus Orat. ad Graecos* c. 53. p. 144. ed. *Oxon.* eam ita arguit: *καὶ ἡ μὲν Σαπφὼ γύναιον πορνικὸν ἐρωτομανὲς, καὶ τὴν ἑαυτῆς ἀσέλγειαν ᾄδει.* Hos eosdem Sapphus amores spectat locus ap. *Senec. Epist.* 88. sub fin. adde *Horat. Carm.* II. 13. 21. IV. 9. 11. *Ovid. Art. Amat.* III. 331. *Remed. Amor.* 761. *Trist.* II. 564. Poetria ipsa nulla dubitavit in carminibus suis illorum saepenumero mentionem facere. Notissimus omnium est ille furor, quo in Phaonem accendebatur, ad quem tamen postea redibo.

Horatius Epist. I. 19. 28. hunc versum de Nostra composuit:

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho.

Quid *mascula* h. l. proprie sibi velit, inter viros doctos est dissensio, dum alii de animo virili ac forti dictum putant, quem Sappho in eo monstraverit, quod ex Leucata petra

praecipitem sese dederit, alii de masculis ejus in puellas amoribus, alii de masculo in politissimis versibus scribendis ingenio recte intelligere sibi videantur. Simplicior sane est ratio de studiis poetriae, masculis magis quam foemineis, in universum accipiendi; quod si quis noluerit tamen, et studium aliquod singulare illo verbo innui persuasum sibi habeat, secundam saltem, quam enarravimus, arripiat opinionem, quippe majorem veritatis speciem prae se ferentem.

Qualescunque autem Sapphus fuerint libidines et masculae cupiditates, qualescunque cavillationes, quas a veteribus perpessa sit, parva haec omnia aestimanda atque contemnenda apparent, si jamdum ad maximas istas, imo divinas inquam oculos vertamus laudes, quibus altera parte a scriptorum multitudine ad astra usque est elata ob felicem, elegantem atque amabilem, quam a natura consecuta erat, facultatem poeticam. Et quantum sane ex carminum ejus reliquiis, quae aetatem tulerunt, hodie judicare licet, istae laudes minime vanae, sed eae, quibus unusquisque litterarum elegantiorum amantior facile consentiet. Quid enim Sappho dulcius aut suavius? Quid in affectibus animi rite depingendis magis eximium aut praeclarius? Quid in fluxu quodam naturali orationis concinnando peritius? Operae re

vera pretium videtur, quae exstant veterum dicta ac testimonia huc pertinentia, fusius perlustrare, et poetriae celebritatem ita in lucem clariorem reponere.

Admiratio, quam ipsius instillaverit vena poetica, maxime ex eo elucet, quod a nonnullis epigrammatistis vel decima Musarum appellatur, videlicet a *Platone Epigr.* XII. T. I. p. 105. *Anthol. Jacobs.*

Ἐννέα τὰς Μούσας φασίν τινες· ὡς ὀλιγώρως·
Ἠνίδε καὶ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.

ab *Antipatro Sidonio Epigr.* XLVI. *ib.* T. II. p. 9.

Μναμοσύναν ἕλε θάμβος, ὅτ᾽ ἔκλυε τᾶς μελιφώνου
Σαπφοῦς, μὴ δεκάτην Μοῖσαν ἔχουσι βροτοί.

ab eodem *Epigr.* LXX. *ib.* T. II. p. 25.

Σαπφώ τοι κεύθεις, χθὼν Αἰολί, τὰν μετὰ Μούσαις
Ἀθανάταις θνατὰν Μοῦσαν ἀειδομέναν,
Ἃν Κύπρις καὶ Ἔρως συνάμ᾽ ἔτρεφον, ἇς μέτα Πειθὼ
Ἔπλεκ᾽ ἀείζωον Πιερίδων στέφανον,
Ἑλλάδι μὲν τέρψιν, σοὶ δὲ κλέος. Ὦ τριέλικτον
Μοῖραι δινεῦσαι νῆμα κατ᾽ ἠλακάτας,
Πῶς οὐκ ἐκλώσασθε πανάφθιτον ἦμαρ ἀοιδῷ,
Ἄφθιτα νησαμένᾳ δῶρ᾽ Ἑλικωνιάσι;

ab auctore incerto *Anthol. Stephan.* L. I. c. 26. *Epigr.* LXV.

Ἀνδρῶν (*) δ' οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν, ἀλλ' ἐρατειναῖς
Ἐν Μούσαις δεκάτη Μοῦσα καταγράφεται.

ab *Ausonio Epigr.* XXXII.

Lesbia Pieriis Sappho soror addita Musis,
Εἴ ἐνάτη Λυρικῶν, Ἀονίδων δεκάτη.

Et a *Plutarcho* Musis adnumeratur *Amator.* T. XII. p. 42. *ἄξιον καὶ Σαπφοῦς παρὰ ταῖς Μούσαις μνημονεύσασθαι*, quarum vel prima audit apud *Cedrenum Annal.* p. 82. Alii scriptores alias laudes ei fundunt. *Aristoteles Rhetor.* II. 23. Mytilenenses Sapphum, quamvis mulierem, in honore habuisse narrat. *Galenus Protrept.* c. 2. T. V. p. 445. ed. *Chart.* Sapphum ob praestantiam in suo genere poetriam *κατ' ἐξοχὴν* denominari refert. *Strabo* XIII. p. 617. C. eam dicit *θαυμαστόν τι χρῆμα*, *foeminam admirabilem, cui nulla alia poeseos causa ne tantillum quidem par sit aestimanda.* *Plutarchus de Pyth. Orac.* T. IX. p. 256. Sapphus affirmat carmina magnam habere venustatem, audientium aures demulcentem et oblectantem; quin Plato Nostram praeter illud, quod Musam eam vocat, eo etiam commendat, quod

(*) i. e. poetarum, canonem lyricum efformantium, inter quos et Sappho numerabatur.

inter sapientes illam numerat, ut tradit *Aelian. Var. Hist.* XII. 19., atque Socrates eandem epitheto καλὴ ornat ap. *Platon. Phaedr.* T. X. p. 296. *Bip.*, haud dubie ob insigne ejus ingenium carminumque pulchritudinem, id quod jam animadvertebat *Maxim. Tyr. Dissert.* XXIV. p. 297. *Demetrius* autem *Phalereus de Elocut.* CXXXII. p. 56. *Schneid.* Sapphus omnem poesin tanquam gratiis celebrat repletam, et CLXVI. p. 69. Sapphum de pulchritudine canentem uti verbis pulchris, totamque suavem esse ait. Immortalitatem poetriae addicunt *Tullius Laurea Epigr.* III. T. II. p. 91. *Anthol. Jacobs.*, *Pinytus ib.* T. II. p. ultim. et *auctor incertus Epigr.* DXXII. *ib.* T. IV. p. 228. *Antipater* porro *Sidonius Epigr.* LXXI. T. II. p. 25. eam, se carminibus tantum superasse vates mulieres, quantum viros Homerus, inducit dicentem. *Apulejus Apolog.* p. 412. Sapphum lascivam quidem esse, sed linguae insolentiam carminum dulcedine commendare profitetur. *Catullus* denique *Carm.* XV. p. 108. *Doer.* illam Musa doctiorem celebrat.

Omnia haec loca sat superque demonstrare puto, quanti Nostra sit aestimanda, et quantopere sit dolendum, tot ac tam egregia ejus temporum injuria periisse carmina. Fuerit illa libidinosior; quid hoc ad nos? An ea sola veterum poetarum Graecorum et Romano-

rum ad voluptatem prona? Quid Musaeus, Alcman, Alcaeus et Anacreon? Quid Horatius, Catullus, aliive poetae? Nihilominus tamen in magno sunt honore ob ceteras virtutes ingeniique dotes, atque id merito quidem. Ne igitur Sapphus etiam partem respiciamus malam, bonam, qua splendet, quaeramus et admiremur.

Verum quod *Annam Dacieriam* (in vita Sapphus), praeeunte *Maximo Tyrio* l. c., maculam istam propensi ad libidinem animi a poetria plane abstergere studentem video, dum ejus amores mere philosophicos et Socraticos judicat, altera rursus parte nihili est, cum ita plurimis de Sappho veterum testimoniis apertis contradiceretur; vigebunt igitur *Longepetraei* verba, in Sapphus vita contra *Dacieriam* prolata, quocum, sicut *Bailio, Blumio* aliisque, hac in re sentio.

Ad Sapphus speciem quod attinet exteriorem, minus ea fuit venusta visu. Ipsam ap. *Ovidium Epist. Heroid.* XV. 31. de se habemus haec profitentem:

Sum brevis, at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.
Candida si non sum, placuit Cepheïa Perseo
Andromede, patriae fusca colore suae.

Pulchram autem audire apud nonnullos scriptores poetriam, ut ap. Eustathium, Athenaeum, Plutarchum et Themistium, ne cui mirum videatur, cum hoc epitheton ad animi ejus facultates et carminum Veneres potius sit referendum (vid. supr.). Mediocrem interim formam a natura acceptam ingenio emendare studuit. Id quod testatur apud *Ovid.* l. l. v. 31.

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formae damna rependo meo.

et v. 41.

At me cum legeres, etiam formosa videbar.

Apud auctorem *Etymologici M.* v. ἀβακῆς se ipsam non esse iracundam, sed animum habere placidum fatetur. In Doricam, sive Rhodopin, ut alias audit (vide sis *Strabon.* XVII. p. 808. B.), meretricem celebrem (*), fratris Charaxi amasiam (cf. *Posidipp. Epigr.* XX. T. II. p. 52. *Anthol. Jacobs.*), e servitute ab hoc redemtam, et Mytilenen transportatam, saepius in carminibus suis invecta est conviciis, teste *Herodoto* II. c. 135. et *Athenaeo* XIII. p. 596. B.

Jam de poetriae acturus vitae fine, ad celebres ejus cum Phaone redeo res amatorias, in

(*) Quae tamen non commutanda cum alia ejusdem nominis, quam Psammitichum regem uxorem duxisse tradit *Aelianus Var. Hist.* XIII. 33., ubi vid. *Periz.*

quibus ipsa misera morte periisse fertur, quarumque notitias praesertim exposuit *Ovidius* in tota epistola *Heroid.* XV. Phaon popularis Sapphus fuit, cujus de pulchritudine ac lenociniis mirae confabulationes fictae (*). Sic *Palaephatus de Incredib.* c. 49. p. 35. *Fischer.* et *Lucianus Dialog. Mort.* IX. T. II. p. 152. *Bip.* eum ob officium, Veneri praestitum, a dea in juvenem formosum ex sene commutatum esse narrant. Sic *Plin. Histor. Natur.* XXII. c. 8. illum plantae, *centum capita* vocatae, radicem, cujus ea sit vis, ut, quicunque raram alias inventu deprehenderit, amabilem reddat, invenisse, ob eamque causam a Sapphone amatum fuisse tradit. Sic denique *Aelianus Var. Hist.* XII. 18. eundem desiderium et amorem sui instillasse ob vas unguenti plenum, a Venere acceptum, ait. Quaecunque haec sint, id quidem pro certo habemus, Sapphum Phaonis pulchritudine speciosaque forma captam, insano in illum amore esse incensam. vid. *Aelian.* l. c. *Suid.* v. *Φάων.* *Athen.* XIII. p. 596. E. *Apostol. Proverb.* XX. 15. *Plaut. Mil. Glor.* IV. 6. 31. *Plin.*

(*) Inde nonnulli putant, Phaonem personam mere mythologicam esse, sed immerito; nam tunc etiam negandum foret, Theseum, Herculem vel alios Graecorum heroas unquam re vera vixisse, quorum historia quot mythis est contexta!

Hist. Natur. XXII. c. 8. *Ovid.* l. l. Diu cum amasio habuit rem, donec hic tandem poetriae ob multas libidines maturius senescentis pertaesus in Siciliam aufugit. cf. *Ovid.* l. c. v. 11. et 51. Quo vero eum mox secuta Sappho (vid. *Marm. Par. Epoch.* 37.), cum se a Phaone eludi, nec animi ejus ad se reducendi spem adesse intellexisset, desperatione correpta in Graeciam rediit, et tunc ex promontorio isto, cui Leucate nomen, in mare praeceps se dedisse fertur. Quod si verum est, eo saltu animam efflasse vix negare possis, cum postea nullibi apud veteres Sapphus rursus fiat mentio.

Sed de Leucata ob celebritatem et nexum cum Sapphicis rebus nonnulla jam praecipienda veniunt. Hoc promontorium, alias Leucates sive Leucas dictum, petra fuit alba (inde nomen, a *λευκὸς*), in Acarnaniae peninsula Leucadia ante Leucadem urbem in mare se porrigens. Memoratu est digna Apollinis templo, super ea exstructo, multo magis tamen superstitione quadam, cujus vi illi, qui amore aliquo vehementi cruciabantur, sese miserarum facile curarum oblivisci et ab insania amatoria liberari posse crediderunt, si e Leucata in mare sese dejicerent. Locus classicus de re est apud *Strabonem* X. p. 452. *πέτρα γάρ ἐστι λευκὴ τὴν χροίαν, προκειμένη τῆς Λευκάδος εἰς τὸ πέλαγος καὶ τὴν Κεφαλληνίαν, ὡς ἐντεῦθεν*

τοὔνομα λαβεῖν. Ἔχει δὲ τὸ τοῦ Λευκάτα Ἀπόλλωνος ἱερὸν, καὶ τὸ ἅλμα, τὸ τοὺς ἔρωτας παύειν πεπιστευμένον·

Οὗ δὴ λέγεται πρώτη Σαπφὼ,

ὥς που φησὶν ὁ Μένανδρος,

Τὸν ὑπέρκομπον θηρῶσα Φάων'
Οἰστρῶντι πόθῳ, ῥίψαι πέτρας
Ἀπὸ τηλεφανοῦς, ἀλλὰ κατ' εὐχὴν
Σὴν, δέσποτ' ἄναξ. —

Ὁ μὲν οὖν Μένανδρος πρώτην ἁλέσθαι λέγει τὴν Σαπφὼ, οἱ δ' ἔτι ἀρχαιολογικώτεροι Κέφαλόν φασιν ἐρασθέντα Πταόλα τῆς Δηϊονέως. Adde *Plutarch. de Virtut. Mulier.* T. VIII. p. 289. *Athen.* XIV. p. 619. E. *Anacreont.* ap. *Hephaest.* p. 70. *Hesych. Miles. de Philos.* p. 36. ibique *Meurs.* p. 194. *Cic. Tuscul.* IV. 18. *Ovid.* l. c. v. 164. sqq. *Stat. Sylv.* V. 3. 154. T. I. p. 112. *Barth. Auson. Idyll.* VI. 21. sqq. et quae ad hunc locum docte disputavit *Joseph. Scaliger Lection. Auson.* II. c. 18. Qui autem modo commemorato mare subierat, lintre quidem statim est receptus, sed accidere tamen debuit, ut multi, artis nandi praesertim haud gnari, perirent, et in undis animam efflarent, cum praeterea ob rupis altitudinem (cf. *Plutarch. Apophthegm. Lacon.* T. VIII. p. 246.) corpus undis illisum statim solvi posset lapsus vehementia. Ceterum Straboni, secundum Menandrum primam ex Leu-

cata Sapphum, secundum alios, antiquitatis peritiores, Cephalum quendam desiluisse dicenti, adversatur *Plutarchus de Virtut. Mulier.* l. c., qui Lampsacum potius, Phobum quendam primum sese demisisse, inducit affirmantem. Alii hoc ita moderantur, ut Sapphum, cum ante eam mares tantum desilive-rint, mulierum primam tale quid ausam fuisse putent.

Quo anno Sappho in Siciliam aufugerit, quove Leucaten adierit, quod litterae in marmore Arundeliano, primam notitiam referentes, sunt obliteratae (*), secundae autem ne adsunt quidem veterum testimonia, neutiquam certo dixeris. Juvenem saltem eo tempore ipsam non amplius esse potuisse patet: habuerat scilicet jam maritum, habuit filiam, quae omnino dudum ex prima pueritia excessisse putanda, cum poetria quondam eam alloqui posset verbis, puerili captui non adaptatis (cf. *Fragm.* XLIV.), in multos postea exarsit pueros atque puellas, et denique Phaonem deperivit, quae quidem res procul dubio non uno evenerunt anno. Cum Phaone solo, qui postremo deprehensus in adulterio occisus est (cf. *Aelian. Var. Hist.* XII. 18.), diu versatam fuisse,

(*) Prideaux isto loco de suis annum CCCXXX. ante Christ. Nat. supplevit.

ex tota Ovidiana epistola supra saepius laudata fit conspicuum. Vel quadragesimo igitur jam aetatis anno propior esse potuit, quando ille maturius senescentem dereliquit. Non interim *Cramero* adsentio, qui in *Synchron. Sapph. et Anacr.* p. XIV. inde etiam apparere autumat, Sapphum jam exstitisse vetulam in amoribus cum Phaone, quod ipsa ap. *Ovid.* l. c. v. 197. dicat:

Non mihi respondent v e t e r e s *in carmina vires.*

nam ex verbo *veteres* nihil ejusmodi colligas, cum illud h. l. non tam vires corporis aetate debilitatas, quam vires animi potius superiores innuat, quas jam prae amore exstinctas praedicat Nostra. Ita locum intelligendum aperte demonstrat versus antecedens:

Ingeniumque meis substitit omne malis.

nec non insequens:

Plectra dolore tacent, muta dolore lyra est.

Wolfio Vit. Sapph. p. IV. et XXIV., vix probabile fieri censenti, Sapphum aetate ingravescente tot tantisque furoribus agitatam esse, ea arridet conjectura, poetriam in flore prorsus aetatis Phaonem deperiisse, et intra aetatis annum XXV - XXXV. in Siciliam aufugisse. Sed aetas quadraginta fere annorum, quam nos supposuimus, nondum per se in-

gravescens (*), nec omnino ea est, in qua omnes amoris stimuli jam exstincti essent, cum et multo provectiori mulieres furoribus adhuc amatoriis esse agitatas haud exemplis careamus. Quis verbi causa non istas anus libidinosas Horatii novit, in quas tantopere invehitur? — Praeter hoc argumentum *Wolfii* opinioni contrarium quoque animadverto Eusebium. Sapphus scilicet annum natalitium idem *Wolfius* ponit Olympiade XXXVI. vel XXXVII. Jam vero Eusebius illam Olympiade XLIV. claram cum Alcaeo exstitisse tradit memoriae. Si igitur intra aetatis annos XXV-XXXV. in Siciliam aufugit, et e Leucata sese dejecit, ista Olympiade XLIV. annum fere XXXV. agere debuisset, circa idem ergo, quo periit, tempus, vel post vitam dudum cum morte commutatam ab Eusebio claram cum Alcaeo haberi rite consequeretur. Utraque autem haec quam sint absurda, vides.

Fert animus, antequam de Sapphus carminibus fusiores simus, necessaria de picturis, statuis ac nummis, quibus imago ejus est expressa, nec non de epigrammatis et fabulis, in eam conditis, monere, eoque ipso honores exi-

---

(*) Poterat tamen omnino Sappho versus annum quadragesimum ob multa negotia amatoria vetulae speciem jam prae se ferre.

mios, quibus hac etiam parte a veteribus est ornata, enarrare. Leo quidam poetriam depinxit secundum *Plinium Hist. Nat.* XXXV. c. 2.; Silanion autem ex aere fabricatus est ejus statuam (cf. *Tatian. Orat. ad Graec.* c. 52. p. 113. ed. *Oxon. Cic. Orat. in Verr.* IV. c. 57.), quae, epigrammate in basi instructa, ponebatur in Prytaneo. Elegans et perfectum fuit opus; postea interim furtim est sublatum, magnum sui desiderium relinquens. Cujus quidem facinoris auctor Verres putabatur. cf. *Cic.* l. c. Sapphus aliam statuam Athenis in arce exstitisse, *Pausanias Attic.* c. 25. T. I. p. 93. probat, si, qua supra p. XXIX. dixi, explicatur ratione. Tantum ne suspicemur (id quod *Ursinus Imag. Illustr. Vir.* p. 38., *Lambinus* ad *Horat. Carm.* I. 17. 18. et *Jo. Faber Commentat.* in *Imag. Illustr.* p. 74. faciunt), Leonem Plinianum eam fabricari potuisse, hic enim non fuit statuarius, sed pictor solum. Quoad nummos, Mytilenaeos Sapphus imaginem iis insculpsisse testatur *Pollux* IX. 6. Sed plurima horum omnium periere. Exstant interim nonnullae adhuc statuae et monetae, quibus poetria proponi vulgo creditur, deque illis haec dicta sunto.

I. Hermes Sapphus adest, cui inscriptum reperimus: *ΣΑΠΦΩ ΕΡΕΣΙΑ*, quo cognomine auctor tempus, ut videtur, innuit, per

quod in urbe Eresso poetria vixit. Facies magis est virilis, quam foeminea. Capilli mulierum Graecarum more sunt contorti atque in nodum collecti, ab utraque autem capitis parte duo defluunt cincinni. Ectypon vid. ap. *Gronov. Thesaur. Antiq. Graec.* T. II. tab. 34. et ap. *Wolf.* in fronte *Fragm. Sapph.*, ubi etiam, ut semel dicamus, omnium sequentium imagines appictas reperies.

II. Gemma poetriae e carneolo rufo elaborata invenitur. Caput vitta circumvolutum, pectus humerique amictu fibula subnexo circumdati. Iconem vid. in *Leon. Augustini Gemmis et Sculpturis Antiq.* T. I. num. 75. et in *Maffei Gem. Antiq. Figurat.* T. I. num. 70.

Nummorum hi fere commemorantur.

I. Nummus argenteus majusculus, cujus in adversa parte caput spectatur taenia obductum, quod Sapphus esse vulgo creditur. Aversa parte conspicuus fit polypus (*), simul cum verbo *ΜΥΤΙΛ.* *Thevetus* se ipsum hanc monetam in insula Lesbo reperisse contendit. Imaginem in historia sua *Homin. Illustr. et Erudit.* T. I. p. 221. exprimi curavit. Praeterea eam reperies in *Ursini Imagin. Illustr.*

(*) Hoc animal in nummis est symbolum urbium maritimarum.

Vir. p. 58. et in ejusdem *Carm. Nov. Foemin. Illustr.* p. 2., in *Jo. Petr. Bellorii Imagin. Veter. Philos.* num. 18. et in *Gronovii Thesaur.* T. II. tab. 34. De ea confer etiam *Gurlittum* in: *Versuch über die Büstenkunde* p. 75.

II. Nummus argenteus, adversa parte continens caput foemineum, corona hederacea cinctum, quo Sappho quin effingatur, nemo in dubium vocabit, cum aversa parte integra foeminae, manu lyram tenentis, figura expressa, et margini sit inscriptum: *ΣΑΠΦΩ ΛΕΣΒΙΑ.* Ectypon exstat in *Hub. Goltzii Numismat. Graec.* tab. XV. nummorum insularum Graecarum, in *Polluce Hemsterhusii* ad p. 1064., in *Gronovii Thesaur.* T. II. tab. 34.

III. Nummus aeneus, cujus adversa pars caput monstrat foemineum, tutulo comae instructum, cum inscriptione *ΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡΩΙΔΑ.* Aversa parte foemina sedens lyramque pulsans est effícta, et inscriptio haec addita: *ΕΠΙ ΣΤΡΑ. ΑΠΟΛΛΩΝΙ. ΜΥΤ.* (*) His duabus imaginibus Sapphum innui plerique putant; *Seguinus* et *Harduinus* aversae partis figuram Apollinis citharizantis iconem esse sibi persuadent. Expressa invenitur mo-

---

(*) Plene: *ἐπὶ στρατηγοῦ Ἀπολλωνίου Μυτιληναίων.*

neta in *Seguini Numismat. Antiq.* c. 2. num. 31. p. 74., in *Jac. de Wilde Select. Numism. Antiq.* tab. 8. num. 1. p. 66., in *Polluce Hemsterhusii* ad p. 1064., in *Gronovii Thesaur.* T. II. tab. 85., ubi tamen adversam solum partem, Proclen exhibentem, videbis, et in *Harduini Numm. Popul. et Urb. Illustr.* p. 335. De ea confer porro ejusd. *Oper. Select.* p. III., *Ezech. Spanhem. de Vesta et Prytanibus Graec.* (in *Graevii Thesaur. Antiqu. Rom.* T. I. p. 701.), *Eckhel. Doctr. Numm.* T. II. p. 504.

IV. Nummus aeneus, adversa parte exhibens caput, mitra singularem in modum coopertum, quod Nausicaae esse patet ex inscriptione, *ΝΑΥΣΙΚΑΑΝ. ΗΡΩΙΔΑ.* Haec Nausicaa Alcinoi, Phaeacum regis, fuit filia, cui magnas laudes fundit Homerus in tota Odysseae rhapsodia Z. *Eckhelius* vero *Doctr. Numm.* T. II. p. 504. b., non satis videns, quae causa fuerit Mytilenaeis, ut hanc potissimum in nummis suis proponerent, haud Homericam Nausicaam innui credit, sed illustrem quandam Mytilenes civem eam esse suspicatur, cujus hic mentio fiat. Aversa pars demonstrat foeminam sedentem et ad dextram spectantem, quae lyram in gremio fultam tangit. Margini haec inscripta reperiuntur: *ΕΠΙ. ΣΤΡΑ.*

IEPOKΛ. MYTIΛ. (*) Sapphum istam foeminam esse dicunt. Ego tamen vix persuasum mihi habeo, hac et superiori moneta poetriam nostram exponi. Figurae in aversis partibus conspicuae Musas potius citharizantes, et Apollonii ac Hieroclis, ducum, facta canentes repraesentare videntur. Ectypon vid. ap. *Jac. Sponium Miscell. Erud. Antiq.* p. 130., ap. *Pellerin. Rois* p. 208.

V. Nummus aeneus parvus, in adversa parte capite laurea ornato, in aversa persona comica, stella et tali inscriptione instructus: *ANTIΣ.* h. e. *Ἀντισσαίων.* (**) Adversae partis caput quin Sapphus sit, nullus dubitat *Liebius* in *Gotha Nummaria* c. 5. §. 10. p. 162., at numinis potius incerti, diademate ornati, autumat *Haymius Thesaur. Britan.* T. I. p. 128. Idem *ANTIΣ.* explicat per *Ἀντισθένης*, hoc autem quo se commendet forsan habet nihil. De moneta vid. *Pellerin Recueil de medailles* T. III. tab. CIII. p. 84. *Eckhel. Doctr. Numm.* T. II. p. 503. Ectypon reperimus in *Liebii* et *Haymii* operibus modo laudatis.

VI. Nummus denique aeneus, cujus in adversa parte caput conspicitur vittatum, quod Sapphum exprimere posse suspicatur *Haymius*

(*) i. e. *ἐπὶ στρατηγοῦ Ἱεροκλέους Μυτιληναίων.*
(**) Antissa urbs Lesbi.

Thesaur. Brit. T. I. p. 136. Certum quid hac de re pronuntiare non licet. Aversa pars habet virum galeatum, sinistra clypeum, dextra hastam tenentem, una cum littera *E.*, quam fere supplent per *Ἐρεσσίων*. Imago exstat ap. *Haym.* l. c.

Epigrammatum multitudo in Sapphum condita, quorum nonnulla jam supra p. XXXIV. commemoravimus. Nec hic res substitit, nam eo progressi sunt comici, ut adeo fabulas integras, poetriae nomine insignitas, componerent. Hoc facientem novimus *Timoclem Atheniensem* (cf. *Athen.* VIII. p. 339. C.), *Antiphanem Rhodium* (*ib.* X. p. 450. E.), *Diphilum Sinopensem* (*ib.* XI. p. 487. A. et XIII. p. 599. C.) et *Ephippum Atheniensem* (*ib.* XIII. p. 572. C.), quorum ex fabulis nonnullos versus Athenaeus ll. cc. servavit.

Superest, ut de Sapphus scriptis fusius loquamur. Lesbi incolae Aeoles erant natione (cf. *Strabon.* XIII. p. 424.), res ipsa monuit ideo Sapphonem, ut tanquam Lesbia dialecto quoque uteretur Aeolica in carminibus suis condendis, id quod et testantur *Horat. Carm.* II. 13. 24. et IV. 9. 12. *Joannes Grammaticus de Dial.* in *Manutii Corn. Copiae* p. 245. *Choeroboscus* ap. *eundem* p. 268. *Etymol. M.* *v. τίς. id. voc. ἐμπάζομαι. Terent. Maur.* ap. *Putsch. in Grammat. Latin. Auctor.* p. 2397.

et *Grammaticus Leidensis de Dial.* ad calc. *Gregorii Corinthii* p. 312. §. XIII. *Koen.* Varia adhibuit metra, aliis jam poetis vulgata; unius ipsa inventrix esse fertur, hendecasyllabi illius, quod exinde Sapphicum vulgo audit, et familiare imprimis ei fuit. cf. *Terent. Maur. de metris* ap. *Putsch.* p. 2440. *Attil. Fortunatian. Art. Poet. ib.* p. 2676. *Diomedes ib.* p. 508. *Auson. Epist.* IV. 91. sqq. Hujus interim generis Alcaeum inventorem praedicat *Marius Victorinus* ap. *Putsch.* p. 2610. et *Attil. Fortunat. ib.* p. 2681. Sapphum frequenter eo usam omnes confirmant. *Hephaestion* p. 45. et *Auson.* l. l. male schema constituerunt, dum tribus pedibus, Trochaeo (Ausonius Hippio), Choriambo et Antibacchio metiuntur, cum ex dipodia potius trochaica et versu logaoedico compositum sit. Reliqua Sapphus metra apud Grammaticos obvia haec sunt:

1. *Metrum Aeolicum Dactylicum*, quo genere totum secundum odarum librum conscripsit, teste *Hephaest.* p. 23. et *Schol.* ad h. l. p. 90. Ejusdem meminit *Terent. Maur.* de metris ap. *Putsch.* p. 2431. Hephaestion duo exposuit schemata, alterum pentametrum, quatuordecim syllabis absolutum, alterum tetrametrum hendecasyllabum.

2. *Metrum Antispasticum acatalecticum*, sedecim syllabis constans, quo librum odarum tertium composuit. Cf. *Hephaest.* p. 34. sq. Hujus vel Sapphum inventricem praedicat *Attil. Fortunat.* ap. *Putsch.* p. 2694., qui pedes his verbis constituit: *constat Iambo et Trochaeo, conceditur in prima primo loco pro Iambo quovis alio pede dissyllabo uti, Pyrrhichio aut Spondeo aut Trochaeo.* In quo tamen fallitur Grammaticus, cum Pyrrhichius et Trochaeus ex rhythmicis rationibus hic nullo modo locum habere possint (cf. *Hermannum* in: *Handbuch der Metrik* p. 92.), nam Antispasticus versus nullus alius nisi Ionicus a majore cum anacrusi est, et pedem Ionium a majore, id quod *Hermannus* falso contendit, nunquam cum Paeone secundo (⏑́–⏑⏑) permutare licet, omni quippe musica ratione repugnante. Aliud schema Antispasticum, quo Sappho utebatur, *Hephaestion* eodem loco proponit.

3. *Metrum Phalaecium hendecasyllabum*, cujus complures, partim continuati, partim dispersi versus in libro odarum quinto legebantur. cf. *Attil. Fortunat.* ap. *Putsch.* p. 2674.

4. *Metrum Asclepiadeum*, quo etiam in libro quinto usa est. cf. *Attil. Fortunat.* ap. *Putsch.* p. 2700.

5. *Metrum Anacreonticum.* cf. *eund. ib.* p. 2701.

6. *Metrum Iambicum*, quod hymnis suis solebat intexere, ut tradit *Julian. Epist.* XXX. ad *Alypium* p. 403. *Spanh.* Adde *Suidam* v. *Σαπφώ.*

7. *Metrum Adonium*, quod non solum in genere ab ipsa invento adhibuit, sed carmine etiam integro continuavit. cf. *Terent. Maur.* ap. *Putsch.* p. 2431. *Mar. Victorin. ib.* p. 2576.

8. *Metrum elegiacum*, quo e. g. epigrammata scripsit, e quibus tria nobis supersunt.

Praeter haec multa etiam alia in Sapphus fragmentis latent metra, quae indagare haud adeo est facile.

Cum Alcaeo Nostram parvas fecisse strophas, ex *Dionysio Halicarnassensi de Struct. Verb.* T. V. p. 131. *Reisk.* videmus; ac monostrophica illius exstitisse tradit *Hephaestion* p. 68. et 74. Melodiae porro mixolydiae inventio poetriae tribuitur ab *Aristoxeno* ap. *Plut. de Music.* T. XIV. p. 223. Quin etiam instrumentum quoddam musicum, *magadis* sive *pectis* aut *pactis* vocatum, et viginti chordis absolutum prima extulisse (cf. *Athen.* XIV. p. 635. B. et E.), nec non plectrum invenisse dicitur. vid. *Suid.* v. *Σαπφώ.* Carminum ejus hae citantur proprietates a Demetrio Phalereo: 1) *Anadiplosis*, i. e. recapitulatio vel reduplicatio singulorum verborum aut phrasium. cf. *De-*

metr. CXL. p. 60., qui laudat *Fragm.* XXXVI. Eam figuram haud dubie imitatus est Ovidius in *Epist. Sapphus* ad *Phaon.* v. 17. 40. 137. 155. 162. 163. 184. 200. 2) *Anaphora* vel iteratio verborum initio singulorum membrorum. cf. *Demetr.* CXLI. p. 60. et inde *Fragm.* XXXVII. 3) *Correctio ipsius*, quam, vbi quae secus dicta ei videntur, apponit, veluti *Fragm.* XIX., pari modo ap. *Demetr.* CXLVIII. p. 63. obvio. 4) *Hyperbola*, sive nimia rei cujuspiam exaggeratio, ultra quam credibile fit. cf. *Fragm.* XXXV. ex *Demetr.* CLXII. p. 68.

Sapphus scripta ipsa haec sunt:

I. *Libri novem odarum* (μελῶν λυρικῶν), ut testatur *Suidas* v. Σαπφὼ, et *Tullius Laurea Epigr.* III. T. II. p. 91. *Anth. Jacobs.* Singulorum citatur primus ab *Apollonio Dyscolo* in *Grammat. Inedit.*, ex qua *Vossius* fecit excerpta, quae divulgata sunt a *Reitzio* ad *calc. Maittairii*, ubi vid. s. artic. περὶ τῆς ἡμᾶς p. 431., secundus ab *Hephaest.* p. 23. et ab *Apollon. Dyscol.* s. art. περὶ πληθυντικῶν πρωτοτύπων p. 429., tertius iterum ab *Hephaest.* p. 34., quintus ab *Athenaeo* IX. p. 410. D., a *Polluce* VII. c. 161. §. 73. et ab *Attil. Fortunat. de Metris* ap. *Putsch.* p. 2674., septimus ab *Hephaest.* p. 34., octavus a *Photio Bibl. Codd.* p. 176. *Hoesch.* Quarti, sexti

nonique nullibi peculiaris fit mentio. Odarum his libris collectarum maxima pars constabat ex carminibus eroticis. cf. *Plutarch. Amator.* T. XII. p. 42. *Athen.* XIII. p. 605. E. XIV. p. 639. A. *Themist. Orat.* XIII. p. 170. D. ed. *Hard. Dio Chrysost. Orat.* II. p. 81. ed. *Reisk. Pausan. Attic.* c. 25. T. I. p. 93. *Horat. Carm.* IV. 9. 11. Id quoque satis certo apparet ex illarum fragmentis, nunc residuis, ex *fragmentis* dico, nam nihil fere, nisi eorum parvula, ab aliis scriptoribus tradita, ex multis hisce Sapphus carminibus nostram attigerunt aetatem. Una omnium integra oda, et alterius magna exstat pars, quae ambae ingens deperditarum excitant desiderium, quae vero ad quem librum sint referendae, non patet.

II. *Carmina nuptialia*, *ἐπιθαλάμια*, in quibus componendis Sappho versabatur secundum *Dionys. Halicarn. de Struct. Verb.* T. V. p. 201. et *Art. Rhetor.* p. 247. *Philostrat. Vit. Apollon. Tyan.* I. c. 20. *Aristaenet. Epist.* I. 10., atque in singularem librum coegit auctore *Servio* ad *Virg. Georg.* I. 31. Nonum odarum forte effecisse suspicantur viri docti. Varii ex illis versus restant. Catullum sua carmina nuptialia e Sapphus depromsisse arbitratur *Vossius* ad *Catull.* p. 189.; at plures imitandi studium potius illum attemperasse demonstravit *Illustr. Doering.* ad *Catull.* p. 256. sq.

III. *Hymni*, qui commemorantur a *Menandro Rhetore de Encomiis* I. c. 2. p. 50. *Heeren*, a *Juliano Epist.* XXX. ad *Alypium* et a *Philostrato* loco supr. laud. Multae deorum invocationes in illis obviam venerunt. Sic poetria Dianam ex innumeris montibus, urbibus et fluviis, Venerem ex Cypro, Cnido, Syria et multis aliis locis appellabat. Verisimillimum est, hos quoque hymnos ad libros IX. odarum pertinuisse. Nihil eorum videtur superesse.

IV. *Elegiae*. cf. *Suid.* v. *Σαπφώ*. His adnumerandam esse Sapphus ad Phaonem epistolam quandam, ab Ovidio sermone Latino imitatam, haud inepte conjicere licet. Nonnulla forsan fragmentorum superstitum ex illis decerpta.

V. *Epigrammata*. *Suida* l. c. Ex eorum numero tria integra sunt servata.

VI. *Monodia*, teste *Suida* l. l. Nihil amplius de iis constat.

VII. *Scolion de Admeto*, quod interim dubiae auctoritatis, dum alii *Praxillae*, alii *Sapphoni*, alii *Alcaeo* tribuunt.

De Sapphus reliquiarum editionibus.

Non locus hic est, quo, qui Graecorum ac Romanorum scriptores singula Sapphus fragmenta servaverint, enarremus, et, qui in his

scriptoribus edendis loca ad Sapphicas res pertinentia notis illustrarint, apponamus doctos, de iis etenim jam infra necessaria dicentur: nos id potius agimus, ut hoc in recensu eos tantum commemoremus libros, in quibus pauca vel plura Sapphus carmina seorsim divulgata et animadversionibus sint illustrata seu emendata.

Plerumque cum aliorum simul poetarum, imprimis cum Anacreontis carminibus edebantur. Jam vero libri, in quibus exstant, sunt hi:

Anacreontis Codex Leidensis in 4to, praeter alia et Sapphus odas continens. De eo vid. *Fischer. Praefat.* ad *Anacreontis* edit. 3. p. XXIII. in notis.

Opera *Henrici Stephani*, Lutet. Paris. 1554. 4. In illis reperiuntur duo Sapphus odaria. Repetita sunt a *Rob. Stephano* et *Morello* ib. 1556. 8., ubi versio Latina *Eliae Andreae* (Putschii) omnibus carminibus adjecta, nec non unum Sapphus fragmentum additum.

Aristologia Pindari *Michael. Neandri*, Basil. 1556. 8. Pag. 427 sqq. et Sapphica tractavit.

Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia. Ceterorum octo lyricorum carmina, Alcaei, Sapphus, Stesichori cet., nonnulla

etiam aliorum. Excudebat *Henr. Stephanus* (Parisiis) 1560. 16. Graece et Latine. Sapphus insunt duo odaria et plura fragmenta, etiam nonnulla veterum loca, ubi de Sapphone agitur.

Haec editio repetita, ac recognitione quorundam interpretationis locorum et accessione lyricorum carminum locupletata. (Paris.) 1566. 16.

Carmina novem illustrium foeminarum et lyricorum, ex bibliotheca *Fulvii Ursini Romani*, Antverpiae ap. Plantin. 1568. 8. Editio rarissima, quae libro manuscripto par sit aestimanda. Sapphus exhibet carmina p. 1-36., quibus notae sunt adjunctae inde a p. 281-295. Magnam in ea Sapphicorum fragmentorum penum jam diligentissime collectam reperies.

Editio Stephani tertium repetita, cum *I. Casauboni* notis, 1586. 16.

Novem Lyrici Graecorum cura *Aemil. Porti*, Heidelbergae ex officina Commeliniana, 1598. 8.

Edit. *Henr. Stephani*, quartum recusa a *Paul. Stephano*, 1600. 16. *Casauboni* notae iterum omissae.

Porti exemplum repetitum a *Pinello*, Andeg. ap. Harvvood. 1611. 4.

Edit. *Henr. Stephani,* quintum repetita a *Paul. Stephano*, 1612. 16.

Corpus poetarum Graecorum veterum, Genevae, 1614. fol. Sapphus plures continet reliquias.

Anacreontis carmina edid. *Tanaq. Faber,* Salmurii 1660. 12., cum *H. Stephani* et *Andreae* versionibus. Recepit et explicuit duo Sapphus odaria.

Anacreontis carmina cura *Longepetraei,* Paris. 1680. 8. Cum interpretatione Gallica prosaica et notis. Duo simul Sapphus odaria continet hic liber.

Edit. *Tanaq. Fabri* secunda, Graece et Latine, Salmur. 1680. 12.

Anacreontis carmina *Annae Dacieriae,* Paris. 1682. 8. Cum versione Gallica metrica et notis. Mulier docta Sapphus quoque nonnulla attigit.

Edit. Longepetraei 2da, Paris. 1684. 12.

Catulli carmina, ed. *Is. Vossius*, Lugd. Bat. 1684. 4. In notis ad *Carm.* LI. p. 113. seqq. Sapphus duo odaria et p. 153. 213. 295. 345. varia ejus fragmenta apposuit et emendavit.

Edit. *Tan. Fabri* 3a, Salmur. 1690. 12.

Edit. Longepetraei 3a, Paris. 1692. 8. (et Amstel. 12.)

Annae Dacieriae 2da, Paris. 1693. 12.

Anacreontis carmina ed. *Baxter*, Londini 1695. 8. Cum versione Latina et notis. Sapphus odaria et epigrammata, nec non unum ejus fragmentum adjecit Baxterus, cujus tamen opiniones, in notis propositae, quo sese commendent vix habeant.

Callimachi Fragmenta, collegit *R. Bentlejus*, in Callimachi editione *Graeviana*, Ultraj. 1697. 8. In notis ad *Fragm.* CCCCXVII. p. 427. ex Anthologia inedita divulgavit et emendavit Sapphus epigramma tertium.

Annae Dacieriae 3a, Amstel. 1699. 12.

Τὰ τȣ̃ Ἀνακρέοντος καὶ Σαπφȣ̃ς μέλη. Anacreontis et Sapphus carmina, Latine Italiceque conversa, Neapoli 1700. 12. Notis ex *Tanaq. Fabri* editione est instructa. Versio Italica auctorem habet *Barth. Corsinum.*

Baxteri 2da, Londini 1710. 8. Sapphus epigrammata, quae editio prima exhibebat, in hac secunda sunt omissa.

Annae Dacieriae 4ta, Amstel. 1716. 8. *Fossaei* notis aucta.

Anacreontis carmina et fragmenta, Graece et Latine, cum notis *Jo. Corn. de Pauw*, Trajecti ad Rhenum 1732. 4. In notis ad *Fragm.* XCV. Sapphus epigramma tertium emendavit, vel potius depravavit.

Anacreontis carmina, cum notis perpetuis et versione Latina; accedunt ejusdem, ut perhibentur, fragmenta et poetriae Sapphus quae supersunt, Londini 1733. 12. Hic liber continet duo Sapphus odaria, totidem epigrammata et unum fragmentum p. 184. sqq.

Sapphus, poetriae Lesbiae, fragmenta et elogia quotquot in auctoribus antiquis Graecis et Latinis reperiuntur, cum virorum doctorum notis integris, cura et studio *Jo. Christ. Wolfii*, qui vitam Sapphus et indices adjecit, Hamburgi 1733. 4., et 1735. una cum carminibus octo poetriarum. Sola haec est editio, in qua Sapphus unice reliquiae sint tractatae atque seorsim editae. Basis est *Ursiniana*, cujus seriem in carminibus apponendis sequitur *Wolfius*. Exinde autem factum, ut, sicut in *Ursino*, ita et hic ordinem quendam naturalem frustra quaeras, cum fragmenta non secundum varios, qui illa servarunt, auctores, sed mixtim confuseque sese excipiant. Virorum doctorum in Sapphum curas textui subjecit, in *Ursini* tamen notis apponendis nonnulla interdum de suis adjecit, verba praesertim ipsa locorum, quae *Ursinus* tantum citat. Illius porro citata accuratius constituit, quippe libros tantummodo veterum, vel majores eorum sectiones, rarissime vero singula capita aut

versus pro sui temporis citandi ratione afferentis. Ad calcem ipsius animadversiones adjunxit.

The works of Anacreon translated into English verse with notes explanatory and poetical. To which are added the odes, fragments and epigrams of Sappho. With the original Greek plac'd opposite to the translation. By Mr. *Addison*, London 1735. 8.

Critica Vannus in inanes *Jo. Cornel. Pavonis* paleas (ed. *Dorville*), Amstel. 1737. 8. Inter cetera Pauwii quoque ad Sapphum notas, in ejus Hephaestione et Anacreonte editas, redarguit, ac ea occasione ipse varia Sapphus fragmenta bene constituit et explicavit.

Maittaire de dialectis linguae Graecae ed. *Reitz*, Hagae Comit. 1738. 8. P. 289. et 290. Sapphus duo leguntur odaria. Singula poetriae verba in operis parte tertia, quae dialectum Doricam amplectitur, tractantur.

Anacreontis carmina, Glasg. 1751. 12. Sapphus simul nonnulla continet liber.

Anacreontis carmina ed. *Fischer*, Lipsiae 1754. 8. Cum *Baxteri*, *Fabri* et *Stephani* notis. Adjecta sunt et Sapphus quaedam.

Edit. Glasguensis 2da, 1757. 12., textu correctiori.

Toupii Epistola Critica ad Cel. Vir. *Gu-*

lielmum, Londini 1767. 8. P. 146. sq. Sapphus epigramma III. emendavit.

Chrestomathia Graeca poetica, curav. *Theoph. Christoph. Harles,* Coburgi 1768. 8. P. 139-147. duo Sapphus odaria excussit.

Anthologia Graeca poetica ed. *Harles,* Norimbergae 1775. 8. Repetitio fere praecedentis. P. 199-210. Sapphica leguntur.

Edit. *Fischeri* 2da, Lipsiae 1776. 8. Auctior, cum ipsius editoris animadversionibus.

Analecta veterum poetarum Graecorum ed. *Brunck,* Argentorati 1776. 4. et 8. Sapphus duodecim reliquias exposuit Tom. I. p. 54. sqq.

Edit. Glasguens. 3a, 1777. 8.

Anacreontis carmina ed. *Brunck,* Argentorati 1778. 12. Nonnulla e Sapphicis recepit p. 73. sqq., quibus pauculas notas adspersit p. 133. sqq.

Anacreontis carmina, cum lectionis varietate ed. *Holst,* Lipsiae 1782. 8. Adjecta quaedam Sapphus. Editio est pessima, vitiis tumens.

Griechische Blumenlese mit erklärenden Anmerkungen v. *Joh. Heinr. Just. Koeppen,* Braunschweig 1785. 8. E Sapphus reliquiis nonnulla collegit et illustravit T. II. p. 111-120.

Edit. Anacreontis Brunckiana 2da, Argentor. 1786. 12. Eodem anno bis repetita.

Catulli carmina ed. *Doering,* Lipsiae 1788. 8. In notis ad Carm. LI. p. 151. exhibuit Sapphus ad amasiam oden.

Anacreontis et Sapphus carmina Graece, recensuit notisque illustravit *Fr. Gottl. Born,* Lips. 1789. 8.

Edit. *Fischeriana* tertium repetita, Lips. 1793. 8.

Interpretatio odarii Sapphici ad Venerem ed. *A. G. Raabe,* Lips. 1794. 4. Est programma inaugurale.

Griechische Anthologie aus den besten Dichtern gesammelt, mit historischen Notizen v. *Fr. Rambach,* Berlin 1796. 8. Sapphus tria carmina auctor recepit.

Anthologia Graeca ed. *Jacobs,* Lips. 1797. 8. T. I. p. 49. exhibuit Sapphus epigrammata.

Μȣσῶν ἄνϑη, sive selecta poetriarum Graecarum carmina et fragmenta ed. *Schneider,* Giess. 1802. 8.

Observationes criticae in Sophoclem, Euripidem, Anthologiam et Ciceronem, scrips. *Purgold,* Jenae et Lipsiae 1802. 8. P. 293. sqq. nonnulla Sapphus loca emendat.

Edit. *Maittairii* 2da, ed. *Sturz,* Lips. 1807. 8.

Saepius etiam Sapphus fragmenta in recentiores linguas sunt translata. Gallice in nonnullis exstant Anacreontis editionibus, ut supra in earum recensu monuimus, quibus hi addantur libri:

Mercure galant, An. 1684. Continet Sapphus oden ad puellam amatam.

Metaphrase d'Anacreon et de Sappho par *Gacon*, Rotterdam 1712. 12.

Anacreon, Sappho, Moschus, Bion et autres poets Grecs par *Poinsinet de Sivry*, Paris 1778. 12.

Inter Italicas versiones has laudo:

Le ode di Anacreonte et di Saffo recate in versi Italiani da *Fr. Sav. de Rogati*, Collae 1783. 8.

Scherzi poetici da *Dominic. da Gattinara*, Brunsuic. 1784. 8. Sapphus etiam reliquias quasdam auctor vertit.

Anglicarum jam supra *Addisonianam* notavi; nunc etiam commemoro:

The works of Anacreon and Sappho, with pieces from ancient authors and occasional essays by *Green*, London 1719. 12.

Vernacula lingua *Sapphus* carmina sequentibus fere libris sunt reddita:

In Actis Eruditorum Teutonicis T. LX. p. 918. sqq. duo leguntur versiones odes ad mulierem adamatam. Auctores nomina reticuerunt.

Galante Gedichte von *Philander van der Linde* (sub quo nomine latere voluit *Jo. Burch. Mencke*), Leipzig 1710. 8. Sapphus ode ad mulierem adamatam exstat p. 92.

Proben einiger Gedichte und Uebersetzungen von *Hudemann*. Hamburg. 1732. 8.

Σαπφῦς μέλη. Gedichte der Sappho, übersetzt von *Jac. Stählin,* Leipzig 1734. 8.

Gedichte von *Benj. Neukirch*, herausgegeben von *Gottsched,* Leipzig 1744. 8. Duo Sapphus quoque odaria hic conversa reperies.

Die Oden des Anacreon in reimlosen Versen von *Götz*, Frankf. und Leipzig 1746. 8. Liber itidem habet Sapphus odaria modo laudata.

Sappho an Phaon. Sappho an Venus von Mad. *Karschinn,* in dem Leipziger Musenalmanach fürs Jahr 1773. p. 178. sq.

Anacreons Gedichte, nebst zwey andern Anacreontischen Gedichten und den Oden der Sappho, Leipzig 1776. 8. Auctor est

Cl. *Meinecke,* tum temporis Rect. Quedlinburgensis.

Leipziger gelehrte Zeitung Jahr 1780. St. 97. p. 792. Ibi legere est versionem odes ad mulier. adam. ab auctore anonymo confectam.

Der Englische Zuschauer von 1782. P. 363. Ramleri duarum Sapphus odarum versio exstat.

Deutsches Museum fürs Jahr 1785. Januar. Continet versionem odes ad amasiam, quam *Comes Christianus de Stolberg* confecit.

Bion, Moschus, Anacreon und Sappho. Aus dem Griechischen. Neue Uebersetzung in Versen, Berlin und Liebau 1787. 12.

Analecten oder Blumen aus Griechenland von *C. Ph. Conz,* Leipzig 1793. 8. P. 42. videre est versionem fragmenti in mulierem indoctam.

Hartmanns allgemeine Geschichte der Poesie, Leipzig 1797. 8. Recepit versionem Ramlerianam secundae Sapphus odae, in qua unum tantum commutavit verbum.

Saffos Hymne an Aphrodite von F. *K. L. von Senkendorf,* in den Blüthen Griechischer Dichter, Wien 1800. p. 94 sq.

Anacreon und Sappho von *Chr. Ad. Overbeck,* Lübeck und Leipzig 1800. 8. P. 123-

126. duo poetriae odaria et unum fragmentum inveniuntur.

Exempla plurimarum versionum Germanicarum modo allatarum dedit *Degenius* in libro suo, cui titulum inscripsit:

Litteratur der Deutschen Uebersetzungen der Griechen T. II. p. 358. sqq.

SAPPHUS ODAE.

SAPPHUS ODAE.

Ode I.

Εἰς Ἀφροδίτην.

Servata est a Dionysio Halicarnassensi de Struct. Verb. T. V. p. 173. ed. Reisk., qui ejus pulchritudinem et suavitatem maximis celebrat laudibus; nec sine causa, quantis enim virtutibus carmen sese commendet, lectori acuto mox perspicuum fiet. — Argumentum sic se habet. Sapphum post mariti mortem in multos juvenes atque puellas exarsisse, supra in *Diatribe de poetriae vita* est monitum. Illa vero, cum hoc carmen caneret, amore denuo alicujus juvenis vel puellae erat capta, a qua tamen repulsam tulit. Magna hac de re tristitia oppressa, ad Venerem nunc refugit, advocans illam, ut animi dolores a se pellat, sibique in amore persuadendo auxilium ferat. Idcirco illud a dea se impetraturam esse sperat, quod Venus, precibus vocata, antea quoque jam saepius sibi adfuerit, nec opem suam in rebus amatoriis denegaverit. De eo autem, quod nonnulli putant, Phaonem illum esse juvenem, cujus Sappho hac in oda mentionem faciat, poetriamque post illius in Siciliam fugam carmen composuisse, nihil certi constitui possit. — Metrum est Sapphicum hendecasyllabum, cujus inventrix ipsa habetur.

Ποικιλόθρον', ἀθανάτ' Ἀφροδίτα, 1
Παῖ Διὸς, δολοπλόκε, λίσσομαί σε,
Μή μ' ἄσαισι μηδ' ἀνίαισιν δάμνα,

V. 1-4. *Ποικιλόθρον', quae varias, multas habet sedes. θρόνοι θεῶν* pro templis, ut *ἕδη δαιμόνων* ap. *Sophocl. Oed. Tyran.* 886. Veneri autem omnino in multis Graeciae terris templa erant exstructa quam plurima. Praecipua exstabant in Cypro insula, nempe Paphi, Salamine, in monte Olympo, Aphrodisii, Solis (urbe, quae auctore Solone est condita), Idalii. Praeterea haec fere in scriptoribus veteribus deprehenduntur: templum Ambraciae in Epiro; templa tria Cnidi in Caria; templum Actii in Acarnania; templum Epidauri, Troezene, triaque Hermione, Argolidis urbibus; templum Orchomeni; templum in Cythera insula et nonnulla alia. Sunt qui *ποικιλόθρον'* accipiant: *florida et varia veste utens*, a *θρόνον* derivantes, quam vocem *Hesychius* ita explicat: *θρόνα, ἄνθη καὶ τὰ ἐκ χρωμάτων ποικίλματα.* Sed haec longius petita et ad sensum satis jejuna. Quidni potius in multo expeditiori illa a *θρόνος* stemus derivatione, quam primo obtutu cuique in mentem venturam puto, quamque et sententiarum flagitat nexus, cum expectari possit, Sapphum in implorando Veneris auxilio deae praesertim potentiam commemoraturam fuisse, quam verbum nostrum, si a *θρόνος* derivatur, sicut et sequentia, *ἀθανάτα, παῖ Διὸς, σύμμαχος,* egregie denotant. Sensit hoc jam *Raabius Interpr. Odar. Sapph. in Ven.*, cujus opusculum diu postea, quam hanc

Πότνια, θῦμον

odcn notis instruxeram, a librario demum accipiebam. *J. Vossius* ad *Catull.* p. 115. rescripsit *ποικιλόφρον*, quod et ipsum multo minorem habet vim, quam *ποικιλόθρον*, et propter insequens *δολοπλόκε* tautologiam efficeret. Emendatione in hac voce certe non opus. Quod reliquum est, versus noster primus pariter ac quartus et quintus citantur ab *Hephaestione de Metr.* p. 45. sq. — *Παῖ Διός.* Plures exstant fabulae de Veneris ortu. *Homerus* eam dicit Jovis et Diones filiam (*Il.* E. 370.), quam rationem et *Nostra* secuta est; *Hesiodus* autem (*Theog.* 190.) et post eum alii, deam ex spuma Urani pudendorum, a Saturno filio patri abscissorum, atque in mare circa Epirum projectorum, ortam esse tradunt. Proinde *Orpheo* (*Hymn.* LIV. v. 2. p. 319. *Herm.*) audit *ποντογενής*. *Bion* autem (*Idyll.* IX. 1.) utramque conjungit genealogiam, Jovis et maris filiam Venerem nominans. — *Δολοπλόκε* ex amoris natura petitum, in quo aliquae semper astutiae et fraudes intercedunt, quarum ideo auctor Venus audit, quae alias et amoris perfidiae favere praedicatur, v. c. *Horatio Carm.* II. 8. 13. Omnibus his epithetis Veneris benevolentiam captare studet poetria. Graeci scilicet et Romani in deorum invocationibus pluribus epithetis eos compellare solebant, quandoquidem certis quibusdam prae ceteris illos delectari, perque ea invocari diligere sibi persuaserunt. Nescii tamen, quodnam potissimum illud sit cognomen, a diis in deliciis habitum, plura eorum semper pronuntia-

Ἀλλὰ τυίδ' ἔλθ', αἴ ποκα κἀτέρωτα

bant, ac ita ad unum saltem istius generis sese perventuros sperabant. Exempla vide ap. *Horat. Carm.* I. 18. 6. sqq. *Carm. Saecul.* 13. sqq. *Serm.* II. 6. 20. — Pro *σε*, ut et in sequentibus pro *σὺ*, *σοι*, *Baxterus* de suo reponebat *τε*, *τὺ*, *τοι*, Aeolicam rationem secutus. Semel monebo, ne nimium nobis sine Codd. vestigiis indulgeamus, in scriptoribus Doricis et Aeolicis suam cuique dialectum ubique restituendo, cum utrique frequenter ceteris quoque dialectis promiscue usi sint, sive ut metro consulerent, sive ut orationi inde venustatem, suavitatem et gratam aliquam parerent vicissitudinem, non igitur certo dici possit, an eo loco, ubi formam, aliis dialectis vulgatam, invenimus, Aeolica semper sit restituenda; librorum potius manu exaratorum consentiens hic tenenda scriptura. — *Μὲ – θῦμον* i. e. *μὲ κατὰ τὸν θῦμον*, et hoc pro *τὸν ἐμὸν θῦμον*. cf. *Hesiod. Ἔργ.* 28., ubi *σὲ θυμόν*. – *Ἀνίαισιν*. In sensum vid. *Theocrit. Idyll.* II. 22. *Δέλφις ἔμ' ἀνίησεν*. — *Δαμνᾷν* ap. *Homerum* et alios sexcenties pro *occidere*; h. l. tropice: *languefacere, tabefacere*. Nolim cum *Koeppenio* de vera morte accipere. — *Πότνια* solennis adpellatio honorifica foeminarum, maxime dearum. cf. *Homer. Il. α.* 357. *δ.* 2. et alias, *Pind. Ol.* XIV. 19. *Eurip. Phoeniss.* 303. Etymum obscurum est. Reddunt: *veneranda. Hesychius* explicat per *δέσποινα*. Sensus totius strophes est hic: *ne patiaris, animum meum curis atque aerumnis ob amorem spretum tabescere ac deprimi.*

Τᾶς ἐμᾶς αὔδας ἀΐοισα, πόλλυ

V. 5-9. *Τυΐδε* Aeolice pro *τῆδε*. Ita prius bene restituit *Ursinus* ex *Prisciano* ap. *Putsch.* p. 7. (qui nostrum versum affert), et antiquo Codice *Farnesiano Hephaestionis*, cum antea in libris manuscriptis et impressis *τύδ'*, *τοίδ'*, *τῆδ'* legeretur. Non vero *Pauwio* ad *Hephaest.* p. 139. timendum fuit, ne scriptura *τυΐδ'* metrum Sapphicum fieret dodecasyllabum, nam inter legendum *τυΐδ'* in unam coalescit syllabam. De voce cf. *Valcken. Epist. ad Roever.* p. XXXII. Occurrit illa ap. *Theocritum* quoque *Idyll.* V. 30., ubi vulgata, quae exstat, lectio: *τὺ* (*ἴδ' ὁ τράγος*) *ὗτος ἔρισδε*, procul dubio sic est emendanda:

τυΐδ' ὁ τράγος ὗτος ἔρισδε.

Αἴ ποκα κἀτέρωτα iterum Aeolicum pro *εἴ ποτε καὶ ἑτέρωθε*, *καὶ ἄλλοτε*. cf. *Hesych.* h. v. *Vossius* hanc lectionem invexit, cum antea reperiretur: *αἴποτε κατ' ἔρωτα*, quod quidem metrum non fert. *T. Faber* rescripsit *καδδ' ἔρωτα*, sed sensus gratia vel sic *Vossianum* praestat. *Koenius* denique ad *Corinth.* p. 274. emendandum censet *κατέρυτα*, ex litterarum serie in *Hesychio*, apud quem nostra vox post *κατέρυκεν* ponatur. In his autem egregie fallitur vir doctus permutatione litterarum *ο* et *ω*, verbum enim non sic: *κατέροτα* (ut ille vult), sed ita potius: *κἀτερῶτα* scribendum. Ceterum in *Aldina Dionysii* editione vitiose exstat *ἐλθέπυ* pro *ἔλθ' αἴ ποκα*. — *Αὔδας*. Antiqui libri mendose *αὐδῶς* et *αἰδῶς*. — *Ἀΐοισα, πόλλυ ἔκλυες*. Mire variat lectio in his, quae

Ἔκλυες, πατρὸς δὲ δόμον λιποῖσα,
Χρύσεον ἦλθες
Ἄρμ᾽ ὑποζεύξασα· καλοὶ δέ σ᾽ ἆγον

---

vel ita: *αἴοις ἀπόλας*, vel ita: *αἴοισα πόλλας*, vel ita: *αἴοις, ἆς πολλάκ᾽*, vel ita: *αἴ᾽ ἆς σὺ πολλάκ᾽* concipiuntur. Nostrum debetur *Vossio*. *αἴω* et *κλύω* ita inter sese differunt h. l., ut prius sit *audire*, posterius *exaudire*, pariter ac ap. *Hesiod.* Ἔργ. 9. — *Πατρὸς δόμον*, i. e. Jovis, deorum regis, palatium, in monte Olympo exstructum, ubi deorum et dearum cubicula (*θάλαμοι*), et unde saepius terram petunt. — *Χρύσεον* accipiunt *pulchrum*; equidem in propria significatione substiterim, quae hic multo majorem habet vim, cum diis omnia, quibus utuntur, sint aurea, cum Jovis domus ipsa auro sit obducta (cf. *Theocrit. Idyll.* XVII. 17.), quare *χρύσεον* hoc loco commode etiam ad *δόμον* referri possit, nisi tum *ἦλθες* nimis nude positum esset. Sic nempe *ἄρμ᾽ ἦλθες ὑποζεύξασα* saltem exspectandum. — *Ἦλθες ἄρμ᾽ ὑποζ.* ornatius pro *ἦλθες ἅρματι*. *ὑποζευγνύειν* proprie de bubus plaustro aut aratro junctis, tum de quovis etiam alio animali. Nota vero inversione currus dicitur subjungi, cum potius animalia currui subjungantur. Nos itidem: *den Wagen anspannen*.

V. 9-12. *Καλοὶ στροῦθοι*. Quatenus passeres Veneris currum trahere *Sappho* possit dicere, planum fit ex *Athenaeo* IX. p. 391. F., ubi scribit: *οἱ στρουθοὶ εἰσιν ὀχευτικοί· διὸ καὶ Τερψικλῆς ἐμφαγόντας φησὶ στρουθῶν ἐπικαταφόρους πρὸς ἀφροδίσια γίνεσθαι. Μή ποτε οὖν*

Ὠκέες στροῦθοι, πτέρυγας μελαίνας

καὶ ἡ Σαπφὼ ἀπὸ τῆς ἱστορίας τὴν Ἀφροδίτην ἐπ' αὐτῶν φησιν ὀχεῖσθαι; καὶ γὰρ ὀχευτικὸν τὸ ζῶον καὶ πολύγονον. Idem de passere alii praeterea veterum tradunt scriptores, nec mendose, nam inter recentiores etiam naturae indagatores passerem cum pare saepius coire constat. cf. *G. Vossium* de *Idololatr.* III. c. 86. p. 1199. ed. 2dae, et Vir Clar. *Gall* organum libidinis in passere quam excultissimum esse demonstravit. Alias columbae (*Stat. Theb.* V. 226.) vel cycni (*Horat. Carm.* III. 28. 15. IV. 1. 10. *Propert.* III. 2. 39.) Veneris currum trahere dicuntur. — *Μελαίνας* h. l. non tam est *nigras*, quam potius *fuscas*, omnino enim vox de quovis colore obscuriori usurpatur. cf. *Apollon. Rhod.* I. 257. II. 791. et sexcenties in aliis scriptoribus. *Vossius* cum in Aldino libro invenisset πτέριγας pro πτέρυγας (vitio haud dubie typographico), locum ita emendavit: περὶ γᾶς μελαίνας πύκνα δινῦντες πτέρ' ἀπ' ὠραν', nigros passeres Veneri non convenire dicens; sed nos jam probavimus, μελαίνας nil nisi naturalem passerum denotare colorem, et praeterea *Sappho* neutiquam id respexit, an passeres propter colorem Veneris aves dici possint; sat ei fuit, illos ob indolem jure locum deae ministrarum obtinere. *Wolfius* et *Fischerus*, quamvis retinuerunt πτέρυγας, versu tamen sequenti inseruerunt πτέρ'. Tunc ad πτέρυγας supplendum foret κατά. Sed cui non statim in oculos incurrit odiosa verborum πτέρυγας et πτέρ' tautologia? — *Πύκνα*

Πύκνα δινέοντες ἀπ' ὠραν' ὠθέ-
ρος διὰ μέσσω.
Αἶψα δ' ἐξίκοντο· τὺ δ', ὦ μάκαιρα,
Μειδιάσασ' ἀθανάτω προσώπω,

Δινέοντες. Aves scil. parvae citius vibrant alas, quam majores. — *Ὠθέρος διὰ μέσσω.* Deorum sedes est in cacumine montis Olympi, ubi aethere sunt circumfusi (cf. *Hesiod.* *Ἔργ.* 18.); si igitur Venus Olympum curru relinquere voluit ad terram ingrediendam, eam prius aetherem transvehi oportuit. Ceterum *ὠθέρος* reposui pro vulgari *αἰθέρος*, secutus vestigia Cod. Reg. I. et Colb. *Dionysii*, in quibus est: *ὠρανῶ θέρος*. *Brunckius* ad *Anacr.* p. 134. scribi debere ait: *ὠρανῶ αἰθέρος*, ubi ω αι in unam syllabam coalescat. Ego maneo in priori, quippe verisimiliori.

V. 13-19. *Αἶψα δ'*. *Vossius* emendabat *αἶψ' ἀλλ'*, non videns, hoc metro prorsus obficere; at, quod multo magis mireris, plurimi viri docti post eum ita ediderunt. Non repugnarem, τὸ *ἀλλ'* lyrica licentia τῷ *αἶψ'* postpositum esse (ut *sed* ap. *Horat. Carm.* IV. 4. 33.), nisi Trochaeus, quem prima metri Sapphici sedes necessario flagitat, illud *ἀλλ'* omnino prorsus exulare juberet. Ceterum animadvertas variatam notionem celeritatis in verbis *ὠκέες*, *πύκνα*, *αἶψα*. — *Μάκαιρα*, solenne deorum epitheton, apud deos enim summam felicitatem esse veteres putabant. cf. *Fragm.* XIII. — *Μειδιάσασ'*. Venus tanquam dea amoris nunquam est morosa, sed semper ridet; inde *Homerus Hymn.* IV. 49. p. 46. *Ilg.*: *ἡδὺ γελοιήσασα φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη*, et *Hymn.* XIV. 2.

Ἤρε᾽, ὅ, ττι γ᾽ ἦν τὸ πέπονθα, κ᾽ ὅ, ττι
Δὴ ᾿νε σε κάλημμι,
Κ᾽ ὅ, ττ᾽ ἐμῷ μάλις᾽ ἐθέλω γενέσθαι
Μαινόλα θύμω, τίνα δ᾽ αὖτε πείθω

---

p. 87. *ἐφ᾽ ἱμερτῷ δὲ προσώπῳ Αἰεὶ μειδιάει. Ovid. Epist. Heroid.* XVI. 83. *dulce Venus risit. Horat. Carm.* I. 1. 33. *Erycina ridens.* cf. et *Apollon. Rhod.* III. 51. — *Ἤρε᾽* plenum est *ἤρεο* pro *ἤρου.* — *Ὅ, ττι γ᾽ ἦν. Stephan.* in editt. prioribus: *ὅττι δ᾽ ἦν,* in posteriori: *ὅττι δ᾽ ἦν,* et bis deinde *χ᾽ ὅττι. Ursinus, Portus, Vossius, Faber* itidem *ὅττι δ᾽.* Sed *δ᾽* h. l. valde molestum; exspectatur potius *γ᾽,* quod et nos recepimus. *Portus* suum construxit: *ἤρεο δὲ ὅττι ἦν τ. π.,* quo nihil durius. — *Κ᾽ ὅ, ττι — κάλημμι,* i. e. *τίνος πράγματος ἕνεκα δὴ ᾿ν σ. κ.* In editis erat *κ᾽ ὅττι δεῦρο καλοῖμι,* ex quo *Vossius,* librorum, ut ait, fidem secutus, faciebat *δήν τε κάλημμι.* Mihi placet, *δὴν* in duas voces dispescere, ut sit *δὴ ἄν. ὅ, ττι δὴ ᾿ν, quid tandem? Baxterus, Wolfius, Harlesius, Fischerus: κ᾽ ὅττι δ᾽ ἦν τε κάλημμι* (auctor lectionis est *Baxterus* ex *Aldina: ὅττι δὲ ἦν τε κάλημμι*); at *δ᾽* h. l. iterum molestum, aeque ac *ἦν.* — *Κάλημμι.* Indicativus hic in oratione obliqua vice optativi *καλείην,* ut mox *ἐθέλω* pro *ἐθέλοιμι.* — *Κ᾽ ὅ, ττ᾽ ἐμῷ* cet. *Faber* reposuit *κ᾽ ὅττι γ᾽ ἐμῷ.* Quis vero non videt, ita metrum Sapphicum *hendecasyllabum* fieri *dodecasyllabum?* — *Μαινόλα. μαίνεσθαι* saepius de vehementiori amore. Quatuor videlicet *τῆς μανίας* Graeci distinguebant genera: *μανίαν μαντικὴν,* quae existit, si vates deo est afflatus, *μανίαν τε-*

Τὰν σαγήνεσσαν φιλότητα; τίς σ', ὦ
Σαπφοῖ, ἀτίμα;

λεξικὴν, quae mysteria celebrantes rapit, μανίαν ποιητικὴν, qua poeta corripitur, et μανίαν ἐρωτικὴν, qua is laborat, qui amasiae impense est deditus. Tria priora genera commemorat *Plato Phaedr.* c. 46. sqq. p. 240. sqq. ed. *Heind.*, de quarto agit *Sappho* hoc loco et in toto carmine sequenti. Add. *Longin.* c. X. p. 62. *Mor.*, *Theocr. Idyll.* II. 51. X. 31. — *Τίνα δ' αὖτε πείθω τ. σ. φ.* Ita unice hunc locum probe emendari posse arbitror, cujus lectio mire variat. *Dionysii* Codd. vulg. corrupte: *τίνα δ' εὖτε πύθωμαι σαγηνεῦσαι φιλότητος σ' ὦ Σαπφὼ δίκην.* *Ursinus* et *Stephanus*: *τίνα δ' αὖτε πειθὼ, καὶ σαγηνεῦσαν φιλότητα,* quos secutus *Portus* post πειθὼ (qui nunc est quartus casus contractus pro πειθόα, a πειθὼ, *suadela*,) supplendum censet προσοίσω vel tale quid, et deinde sensum sic constituit: *quae verba persuadendi vim habentia rursus tibi afferam, ut me voti mei compotem facias? quae philtra, quae venena, vim amoris conciliantia, tibi iterum praeberem, ut te capiam, et rebus optatis fruar?* Haec interim, quamvis etiam *Baxtero, Wolfio, Harlesio* et *Fischero* probata, oppido esse putida, et vi tantummodo ex verbis extorqueri posse, liquet. Nihil etiam lucri, quamvis illud προςοίσω omittamus, et post πειθὼ ex praecedentibus tantum ἐθέλω γενέσθαι suppleamus, nam vel sic sensus habet impediti quid. *Faber*, cui *Porti* lectio jam molestias afferebat, conjicit: τίνα πείθω (accentu retracto)

Καὶ γὰρ αἰ φεύγει, ταχέως διώξει,

καὶ σαγήνευσ᾽ ἂν (pro *ἀνὰ*, ut dicit) *φιλότητα*, i. e. *quem suasionibus meis in amorem inducerem, aut reti amatorio caperem*, quod ad sensum saltem audiendum. Sed num *ἀνὰ* vices *τῦ διὰ* cum genitivo explere possit, dubito, *ἂν* vero Graecis pro *ἀνὰ* poni omnino non memini; deinde quoque temporum in *πείθω* et *σαγήνευσα* permutatio non placet. *I. Vossius* restituit: *τίνα δ᾽ αὖτε πείθημι σαγήνεσσαν φιλότητα.* Sensus horum non satis in plano est, praetereaque *πείθημι* linguae rationi repugnat, quae *πείθω*, utpote verbum *βαρύτονον*, formam in *ημι* recipere non patitur, ut recte monet *Purgoldus Observat. Crit.* p. 294. Hic jam e suis affert *πείρη-μι*, in quo tamen iterum haereo sensus et metri causa. Quid enim, quaeso, *πειρᾶν σηγήνεσσαν φιλότητα* sibi vult? Et nonne ultima in *πείρημι*, sicut in *πείθημι*, est brevis? Haec omnia mecum reputans, manu scriptae lectionis vestigia propius sequi malui; servavi proinde *πείθω*, et ex *καὶ* effinxi *τὰν*, ac ita omnia sunt perspicua: *quaerebas ex me, cui iterum persuadere velim amorem irretientem.* Nunc *σαγήνεσσα* est epitheton satis conveniens amoris, quippe qui irretit eos, quibus illum persuadere studemus. cf. *Epigr. ἀδέσποτ.* XXXII. T. IV. p. 124. *Anthol. Jacobs. τὰν* autem facile poterat depravari in *καὶ*, si vox in Codd. per compendium ita scribebatur *TAI*, quo ex compendio multae videntur enatae esse corruptelae, ut v. c. videre licet in lectione *σαγηνεῦσαι*, antea commemorata.

Αἰ δὲ δῶρα μὴ δέκετ', ἀλλὰ δώσει,

V. 19-24. Ab oratione obliqua poetria subito delabitur ad rectam, unde grata nascitur vicissitudo. *Ἀτίμα* substitui in locum vulgati *ἀδίκη*, quod metrum Adonium non fert ob secundam syllabam brevem. *Brunckius* dedit *ὑβρίζει*, ex glossa putans *ἀδίκη* in textum irrepsisse; hoc tamen valde dubium. Multo certiorem emendationem litterarum ipsarum ductus suppeditant. *Purgoldus* l. l. proponit *ἀτίζει*, ad sensum i. q. *ἀτίμα*. — *Καὶ γὰρ* h. l. non particula causalis, sed transeuntis: *nunc vero tibi dico*, *si* cet. Possimus tamen *καὶ γὰρ* ex ellipsi explicare, si scilicet suppleamus: *nunc ille non amplius te offendet, res jam multo aliter eveniet, si etenim* cet. — *Φεύγει - διώξει.* Optime *Sappho* utitur his verbis: in amoris enim natura est constitutum, ut is, qui alterius amore est captus, ubique eum sequatur, hic vero, si illius amorem repudiat, semper eum fugiat. cf. *Theocr. Idyll.* XI. 24., ubi Polyphemus de Galatea, ipsum spernente: *φεύγεις δ', ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα.* cf. et v. 30. Utraque vox occurrit v. 75. *τί τὸν φεύγοντα διώκεις*; Adde *Virgil. Ecl.* II. 63. sqq. *Torva leaena lupum sequitur; lupus ipse capellam; Florentem cytisum sequitur lasciva capella; Te Corydon, o Alexi.* — *Δῶρα.* Notissima est res, amantes amasiis, ad eos magis pelliciendos, dona dare. cf. *Theocr. Idyll.* III. 10., V. 96. sqq., XI. 40. sqq., *Virg. Ecl.* II. 36. sqq., III. 68. sqq. — *Δέκετ'* plene est *δέκεται* ab Aeolico *δέκομαι* pro *δέχομαι*. *Stephan. Morell. Ursin*

Αἰ δὲ μὴ φιλεῖ, ταχέως φιλάσει.
Ἦ ὖ κεν ἐθέλλοις;

Fab. δέχετ'. *Aldus* vitiose δὲ κετ' ἄλλα. — *Αἰ δὲ μὴ κ. τ. λ.* Quod duobus antecedentibus versibus speciatim extulerat *Nostra,* jam generatim exponit. — *Ἦ ὖ κεν ἐθ.* per interrogationem dedi, sensu, ut mihi quidem videtur, satis probando: *vel anne hoc a me tibi contingere voluisti? nonne hujus voti compos fieri studebas?* Apponam *Brunckii* (ad *Anacr.* p. 135.) de hoc loco verba: „*Jo. Upton* in *Dionysii Halicarn.* libro de Structura Orat. legit ἢ οὐκὶ ἐθέλλοις, nec aliter *Isaacus Vossius* in commentario ad *Catull.*, quae scriptura mendosa mihi videtur. Particula potentialis salvo sensu abesse vix potest. Lego ἢ ὖ κεν ἐθέλλοις, *aut nolueris.*" In his κεν optime infert vir doctus; quid vero duobus ulterioribus verbis, in quibus sensum constituit, dicere voluerit, nullus assequor, et re vera nec ἢ οὐκὶ, nec ἢ ὖ κεν sine interrogatione ferendum. *Baxterus* et *Wolfius*, quos item alii recentiorum secuti: κωὔκι ἐθέλοις, hac sententia: *et te amabit celeriter, etiamsi tu rursus nolueris eum amare, et te invita.* Sed quomodo, quaeso, poetria Venerem ita loquentem inducere potuisset, cum antea agat de fervidissimo ipsius in juvenem vel puellam amore? Nonne extemplo in mentem ei venire debuisset, parum veri prae se laturum speciem, ipsam nunc vice versa, in quem antea exarserit, spreturam esse, si jam in eo esset, ut is tandem Veneris impulsu amorem erga eam concipere coepisset? Interim verba ne

Ἔλθ' ἐμοὶ καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον
Ἐκ μερίμνᾶν, ὄσσα δ' ἐμοὶ τελέσσαι 26
Θῦμος ἰμέῤῥει, τέλεσον· τὺ δ' αὔτα
Σύμμαχος ἔσσο.

hac quidem ratione explicari possunt, quia tunc particula εἰ necessario flagitaretur, ut taceam de metrica in ἐθέλοις difficultate. In editis ante *Vossium* erat: κ' ὄττε (melius *Stephanus* ὄττι) κελεύῃς, scil. τῦτο πράξει, *in omnibus rebus morem tibi geret.* Non male sane.

V. 25-28. Hactenus poetria de temporibus praeteritis, ubi Venus plus simplici vice se jam audierit. Nunc rursus delabitur ad tempus praesens et suum recentem amorem, repetit igitur votum, quinto versu supra conceptum, ut hoc ipso quoque momento Venus sibi adsit, se a curis liberet, adjutrixque sibi id perficiat, quod optet. — Χαλεπᾶν μερίμνᾶν, quatenus amoris curae corpus et animum atterunt. *Horatius Epod.* II. 37. sq. *Quis non malarum quas amor curas habet Haec inter obliviscitur?* — Ἰμέῤῥω Aeol. pro ἱμείρω, i. q. ἐπιθυμέω. Plures ejusmodi formas Aeolicas vid. ad *Fragm.* XXXII. — Αὔτα. *Purgoldus* p. 295. emendat αὖτε, *versu*, dicens, *paenultimo* τὺ δ' αὔτα *displicet. Constat enim* αὐτὸν *semper opponi solere rei, quae ad ipsum pertineat. Sed hic* αὔτα *quo referatur, non habet.* Ego haec verba obscura quo referam non habeo. αὔτα, ut quivis intelligit, est *ipsa*, et spectat ad Venerem. Omnis ideo emendatio in hac voce frustra tentatur.

O d e II.

Πρὸς γυναῖκα ἐρωμένην.

Legitur ap. Dionysium Longinum *περὶ ὕψυς* c. X. p. 62. sqq. Mor. Non integram eam habemus, sed finis periit. Qui exstat textus, tanta variarum lectionum depravatus est multitudine, ut *Schurzfleischius Animadv. in Longin.* p. 26. maximo dicat jure, Sapphum, si jam viveret, se ipsam in odario esse quaesituram. Quam textus corruptelam exinde profectam putem, quod quisque in illo recensendo notitiam suam dialecti Aeolicae exercere vellet. — *Argumentum* sic se habet. Poetria eandem, quam carmine praecedenti, tractat rem. Vehementi scilicet pulchrae cujusdam puellae amore erat percussa, quae tamen ipsam non admisit. Hujus ideo puellae speciosam formam primo laudibus effert, quidque ejus adspectus in se valeat, enarrat. Tum vero subito proruit verbis: *attamen omnia conabor* (scil. ut amorem erga me tibi instillem), et dehinc, proh dolor! cetera carminis nobis invidit Longinus. Videmus interim id saltem, poetriam nunc egisse de ipsius amore spreto, et artes forsan commemorasse, quibus amasiam pellicere vellet. Ode ipsa ita est comparata, ut apostrophen in puellam contineat amatam, quam praesentem fingit Sappho, ac mellitissima sane et jucundissima est lectu, cum poetria omnia magna elegantia ita delineaverit, ut in amoris natura re vera sese habent. — Metrum iterum se praebet Sapphicum

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν

hendecasyllabum. — Imitator odes est *Catullus Carm.* LI.; ante oculos etiam habuisse videtur *Apollon. Rhod.* III. 960 sqq., et *Lucret.* III. 153. Ter laudatur a *Plutarcho*, primum in *Vit. Demetrii Poliorcetae* (T. VI. p. 47. *Hutten*), deinde in commentatione: *Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτȣ̃ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ* (T. VII. p. 258.), denique in *Amator.* (T. XII. p. 42.)

V. 1-6. Primum *Sappho* illum felicissimum praedicat, cui id contingat, ut a puella, quam ipsa furit, ametur, qui ideo prope illam sedere, atque ejus pulchritudinem cognoscere possit. Ne autem cogitemus, *Nostram* in his dicendis quendam videre assidentem lateri puellae amatae, qua ratione *Pearcius* ad *Longin.* p. 38. *Sapphus* locum intelligendum re vera fingit, qui adeo istius puellae et prope eam sedentis nomina reperisse sibi videtur, illam Doricam, hunc Charaxum, Sapphus fratrem, esse putans. Verba poetriae conditionaliter potius intelligenda et ita solvenda: *si cui licitum est tibi adsidere* cet. — *ego illum parem diis praedico.* — *Φαίνεταί μοι* in *Longini* editione principe, quae est *Robortelli*, *Longini* verbis adhuc adnectitur, ut *Sapphus* carmen a *κῆνος ἴσος θεοῖσιν* demum incipiat. Contrario vitio in fine vox *Longini θαυμάζεις* (ȣ *Robortellus* non habet) odae ipsi etiam affigitur. Pro *μοι Vossius Ϝοι* per digamma, secutus vestigia *Apollonii Dyscoli* ad calc. *Maittairii* p. 427. Verum *Apollonius* illo loco nullus sibi constat.

Ἔμμεν ὠνὴρ, ὅςις ἐναντίος τοι.

Bis enim nostrum citat versum, et primum (p. 423.) legit *μοι*, tum vero *Fοι*, pro *οἷ* (*sibi*) scilicet, ut ejus verba demonstrant. Hoc *Vossius* interim non videns, *Apollonium Fοι* loco *μοι* reposuisse censebat, quo nihil foret absurdius, cum digamma Aeolibus non pro *μ* adhibeatur, sed aspirationis illis sit genus quoddam. Verum enimvero nec *οἷ* ferendum, si enim tertia accederet persona, non idoneus sententiarum inter versus sex priores et sequentes exstaret nexus. Agitur potius res inter *Sapphum* illiusque amasiam solam. *Catulli* etiam versio, *μοι* *Nostram* scripsisse, satis aperte monstrat. Ceterum *Vossius* suum parum servat propositum, dum v. 5. iterum *μοι* edidit. Ejus hoc de loco opinionem fuse docteque impugnat *Schurzfleischius Animad. in Longin.* p. 26. sq. — *Κῆνος* Aeol. pro *ἐκεῖνος*. vid. *Apollon. Dysc.* p. 423. cf. *Fragm.* XXVII. *Pearcius* proponit *τῆνος*, quod nonnulli arripuere. *Morellus, Stephanus, Ursinus, Faber* *κεῖνος*. — *Ἴσος θεοῖσιν*, *felicitate* scilicet, circumscriptio igitur summae felicitatis. cf. not. ad *Carm.* I. 13. — *Ἔμμεν*. *Stephan. Ursin. Fab. Morus* *ἔμμεν'*. — *Ὠνὴρ* Aeolica contractio pro *ὁ ἀνὴρ*, ut e. g. *Ὥρατος* pro *ὁ Ἄρατος* ap. *Theocr. Idyll.* VII. 98. Ita nostro loco restituit *Vossius*. Lectio alias admodum variat. Codd. duo Vatt. *ἐμμένων ἥρως*. Edit. pr. *ἐμπρέπων ἥρως*. *Portus* *ἔμμεν ἢ μήν*. *Ursinus, Stephanus, Faber* et alii *ἔμμεν ἀνήρ*. Lepida est *Tollii* opinio, voce *ὠνὴρ* poetriam se ipsam, tanquam masculis libi-

Ἰσδάνει, καὶ πλασίον ἁδὺ φωνᾶ-
σαί σ' ὑπακούει,
Καὶ γελάϊς ἱμερόεν, τό μοι 'μὰν

dinibus deditam, innuere putantis. Quo nihil vidi jejunius. — *Ἐναντίος*. Is enim, qui ex adversa parte alterius sedet, vel stat, optime eum potest contemplari. cf. *Fragm.* XXVIII. — *Ἰσδάνει* h.l. vi potentiali dictum: *cui permissum, cui potestas facta est, adversus te sedendi*, ut mox ὑπακούει. — *Ἁδὺ φωνᾶσαί σ' ὑπακούει* est *Boivini* lectio, quae optime sese habet ad infinitivum γελάϊς. Antea in Codd. et libris impr. ἁδυφων' σαῖς, seu ἁδυφώνυ σεῦ, sive ἁδὺ φωνύσας. *Vossius* φωνύσας et postea tamen γελάϊς, quod inconcinnum. Per participia φωνύσας et γελώσας *Sapphum* locutam exinde apparere censet *Tollius*, quod *Catullus* locum sic verterit: *et audit dulce ridentem*. At hoc nihil probat. *Catullus* enim, si eleganter latine loqui voluit, non potuit, quin post *audire* accusativum cum participio poneret, quamvis in Graecis infinitivos inveniret. — *Γελάϊς* Aeolice pro γελᾷν. Aeoles nempe ν mutat in ς (ἤνθομες, ἦμες cet.), et jota subscriptum in verbis contractis non *sub*, sed *post* vocalem ponunt. *Vossius* hanc lectionem primus in vulgus edidit, quam invenerat in Cod. *Longini* Paris. Alii post ὑπακούει punctum ponunt, et γελάϊς de secunda persona praesentis accipiunt (pro γελᾷς), qua ratione omnis sententiarum nexus perturbatur. De sensu cf. *Musaeum* 656. *Alciphr. Epist.* I. 38. p. 178. *Bergl. Lucret. de Rer. Nat.* I. 36. Sic et *Horat. Carm.* I. 22. 23.

Καρδίαν ἐν ϛήθεσιν ἐπτόασεν.
Ὡς γὰρ εἴδω σε, βροχέως με φωνᾶς
Οὐδὲν ἔτ᾽ ἴκει.

Dulce ridentem Lalagen amabo, Dulce loquentem. — *Τὸ* spectat ad *φωνᾶσαι* et *γελάϊς.* — *Μοὶ ᾽μάν.* Sic *Boivinus.* Veteres Codd. Paris. et Vat. corrupte *μὴ ἐμὰν*, Cod. Ambros. *μοὶ ἐμάν.* Alii *μοὶ τάν.* — *Ἐπτόασεν* ἀοϱίϛως dictum: *obstupefacere solet.* Cor autem obstupescere praedicatur, si vis vitalis non solito more est efficax, si homo non in suametipsius est potestate. *Homerus Od.* X. 298. *τῶν δὲ φρένες ἐπτοίηθεν.* cf. *Musaeus* 96. sq. *Ovid. Epist. Heroid.* XVI. 133.

V. 7. 8. Jam ex isto mentis stupore enatas singulas corporis perturbationes recenset. *Βροχέως* Aeolicum puta pro *βραχέως*, i. e. *ἐν βραχεῖ, subito.* — *Μὲ,* scil. *εἰς,* nota praepositionum ellipsi. Sensus: *nullam amplius vocem edere valeo, vox faucibus haeret.* Homo nempe utique prae horrore, timore, admiratione, cupidine vel amore ita adtonitus esse potest, ut loqui nequeat. *Apollonius Rhodius* III. 685. *πολλάκι δ᾽ ἱμερόεν μὲν ἀνὰ ϛόμα θῦεν ἐνισπεῖν· Φθογγὴ δ᾽ οὐ προὔβαινε παροιτέρω. Hor. Carm.* IV. I. 35. *Cur facunda parum decoro Inter verba cadit lingua silentio?* Adde *eund. Epod.* XI. 9. *Virg. Aen.* IV. 76. *Lucan. Pharsal.* II. 20. sqq. *Aedituum* ap. *Gell. N. A.* XIX. c. 9. Nostrum locum ita, ut nos edidimus, expressum invenerat *Vossius* in Cod. Paris. praeter *βροχέως*, in Codd. duobus Vatt. obvium, pro quo Paris. *βροχέας.* Satis inepta est vulgata lectio: *ὡς ἴδον σε βρόγχον, ἐμοὶ γὰρ*

Ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσα ἔαγε, λεπτὸν δ'

αὐδᾶς cet., vel, ut alii, mutata aliquantulum interpunctione: ὡς ἴδον σε, βρόγχον· ἐμοὶ γὰρ cet. Prius vertendum foret: *ita vidi guttur tuum, mihi enim* --; posterius: *ubi te vidi, guttur. Mihi enim* --. Utrumque ridiculum esse sentis. *Tan. Faber Epist.* XLIX. p. 161. (quam epistolam etiam seorsim expressam invenies in *Anacreontis* editione *Fischeriana* tertia p. 321.) hanc proponit emendationem: τό μοι -- ἐπτόασεν, Ὡς ἴδον σε· ὡς βρόγχον ἐμοὶ γὰρ cet. Tunc ὡς βρόγχον foret εἰς βρόγχον. Sed tamen haec placere non possunt, nam primum ὡς ἴδον σε hoc nexu de sensus facilitate et vi detrahunt, cum potius ad sequentia sint trahenda, ut post ἐπτόασε prius membrum finiatur; deinde ὡς bis positum auri molestias affert; denique γὰρ nimis est remotum a periodi initio, cum statim post ὡς, vel ad plurimum post βρόγχον locum suum obtinere deberet. Cod. *Eliens.* et *Vatt.* duo ὡς γάρ σ' ἴδω, *Ambros.* ὡς γάρ σ' εἴδω, metro repugnante. *Ursin.* ὡς ἴδον γάρ σε, βροχέως ἐμ' αὐδάς. *Tollius:* ὡς γὰρ εἴδω σε, βρόχε' ὥς με (i. e. εἴς με) φωνᾶς οὐδὲν ἔτ' εἴκει.

V. 9-12. Καμμὲν i. e. κατὰ μέν. κατὰ per tmesin ad ἔαγε, κατέαγε, *fracta, debilitata est,* vernacula lingua: *ist gelähmt.* Verbum etiam de aliis corporis membris usurpatur, quando non amplius in statu sunt integro ac incolumi. Sic *Hesiodus* Ἔργ. 534. de dorso: ἐπὶ νῶτα ἔαγε, *incurvi sunt humeri.* Porro verbum et tropice adhibetur, ut ap. *Apoll. Rhod.* III. 954. Magna iterum de

Αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
Ὀππάτεσσιν δ' ὐδὲν ὄρημι, βομβεῦ-
σιν δ' ἀκοαί μοι.

---

hujus loci lectione est lis (vid. Criticos ap. *Wolf.* p. 27. sq.). *Vossius* ex Cod. suo *Paris.* edidit: *ἀλλὰ καμμεῦ γλῶσσα σέσιγε*, *Pearcius* vero *Vossium* in hoc falli contendit, cum Cod. laudatus potius legat: *ἀλλὰ κὰν μὲν γλῶσσα ἔαγε* (Cod. ipse *Pearcio* non praesto fuit, sed vir quidam doctus Parisiis lectionis varietatem ex illo excerpserat ac *Pearcio* remiserat). Jam vero *κὰν μὲν* levi negotio mutatur in *καμμὲν*, et ita sensus longe expeditissimus. *Boivinus* tentabat: *ἀλλ' ἀκὰν μὲν, sed tacite quidem*, quod nemini facile persuaserit. — *Λεπτὸν* tam ad *χρῶ* quam ad *πῦρ* referri possit, longe aptius tamen ad posterius. Ceterum totus hic versus nonus in editione principe omnino deest. — *Πῦρ.* Iste amoris ignis si corpus percurrit, eo se prodit aliis, quod illius, in quo oritur, faciem rubore perfundit, sive, ut *Plutarchi* (*Vit. Demetr.* T. VI. p. 47.) verbis utar, quod *ἐρύθημα πυρῶδες* efficit. — *Ὑποδεδρόμακεν* Aeol. dicunt pro *ὑποδεδράμηκεν.* Ego fateor, perfectum omnino h. l. male me habere, cum poetria cetera verba in praesenti apposuerit (nam *ἔαγε* vi praesentis accipiendum); mallem igitur *ὑποδεδρομάκει*, a forma Aeolica *ὑποδεδρομάκω.* vid. infra ad v. 15. — *Ὀππάτεσσιν. Manut. Stephan. Faber ὀμμάτεσσιν.* — *Οὐδὲν ὄρημι. Catullus: gemina teguntur Lumina nocte* — *Βομβεῦσιν. Aristaenetus Epist.* II. 13. *ὑκ ἐβόμβει μοι τὰ ὦτα,*

Καδδ᾽ ἴδρως ψροξὺχ χέεται, τρόμος δὲ
Πᾶσαν ἀγρεῖ, χλωροτέρα δὲ ποίας

ὅτε σῦ μετὰ δακρύων ἐμεμνήμην; ubi vid. *Pauw.* *Boivinus* et *Pearcius* secuti vestigia duorum Codd. *Vatt.* legendum censent ὄρημ᾽, ἐπιῤῥόμ - βεῦσι δ᾽ ἀκοαὶ (*Pearcius* ἀκέε). Forsan poetria scripserat: ὄρημι, ῥομβεῦ - σιν δ᾽ ἀκοαί μοι. Ad sensum ῥομβεῖν idem quod βομβεῖν. -- *Ἀκοὴ* propr. *auditus*, tunc metonymice pro *auribus*.

V. 13-16. *Καδδ᾽* i. e. κατὰ δὲ, rursus per tmesin ad χέεται, καταχέεται, *defluit.* *Theocritus Idyll.* II. 107. ἱδρώς μευ κοχύεσκεν ἴσον νοτίαισιν ἐέρσαις, Οὐδέ τι φωνᾶσαι δυνάμαν, ὐδ᾽ ὅσσον ἐν ὕπνῳ Κνυζῶνται φωνεῦντα φίλαν ποτὶ ματέρα τέκνα. *Mimnermus Eleg.* III. 1. αὐτίκ᾽ ἐμοὶ κατὰ μὲν χροιὴν ῥέει ἄσπετος ἱδρώς. *Propert.* II. 18. 12. *Quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat, Frigida de tota fronte cadebat aqua.* -- *Ἀγρεῖ* Aeoles dicebant pro αἱρεῖ. vid. V.V. D.D. ad *Hesych.* voc. ἀγρεῖται. *Tollius* voluit ἄῤῥει. Editt. Vett. αἱρεῖ. -- *Ποία* propr. *planta,* in specie de *gramine.* Ex nostro loco apparet, morem Graecis fuisse, faciei colorem, ex metu, sollicitudine vel amoris desiderio ortum, cum graminis colore comparandi, perinde ac nos hodiedum metaphoram ab eadem planta vel a malo Cydonio petimus, et hominis istis, quos modo dixi, affectibus commoti colorem nominamus *grasgrün* sive *quittengelb.* In sensum *Ovid. Metam.* IV. 134. *oraque buxo Pallidiora gerens exhorruit.* *Eichstadius Quaest. Philol. Spec.* I. p. 61. sq. pro ποίας emendavit θάψω

Ἔμμι' τεθνάκην δ' ὀλίγω 'πιδεῦσα,
Φαίνομαι ἄπνους.

---

ex *Theocriti* ad *Idyll.* II. 88. *Scholiasta*, cujus verba vid. infr. *Fragm.* CXVI. Ipsum hoc primo mihi ita arrisit, ut θάψω in textum recipiendum statuerem. Exactius vero scholion inspiciens, mox in aliam rursus mentem inclinavi, sensi enim, Scholiasten verbis ὥς φησι καὶ Σαπφὼ nihil aliud dicere voluisse, quam Sapphum quondam thapsum Σκυθικὸν ξύλον nominasse, illumque ideo locum poetriae a nostro prorsus diversum innuere. Qua de causa ποίας libenter intactum reliqui. *Dawes. Miscellan. Crit.* p. 128. de suo scribit πόας, ex antiquae linguae ratione, in qua littera *o* tam brevem quam longam syllabam effecerit. Sed si tales emendationes iis locis, quae nullas omnino flagitant, temere inferre licebit, quid, quaeso, de tota critica fiet? -- Τεθνάκην pro τεθνάκειν, a τεθνάκω, quae est forma Dorica, efficta ex praeterito solemnioris θνήσκω: vid. *Valckenar.* ad *Theocr. Idyll.* I. 16., ubi ex ipso *Theocrito* similia collegit, qualia sunt πεφύκω, πεποίθω, πεπόνθω, δεδοίκω (quod et occurrit ap. *Callim. Epigr.* XLIX. 9.), et alia. -- 'πιδεῦσα. Codd. nonnulli *Paris.* et *Ambr.* 'πιδεύσην, *Eliens.* et duo *Vatt.* 'πιδεύκην. *Manut. de Petr. Port. Langbaen. Steph. Fab. Huds. Baxt. Wolf. Harles.* δέοισα. — Ἄπνυς deest in editione principe. *Vossius* e suo Cod. mutavit in ἄλλα, quod dicit Aeolicum pro ἀλάλη, *muta*; at quamvis ea vox Aeolibus in usu fuerit (cf. *Gregor.* p. 272.), hoc saltem loco multo

Ἀλλὰ πᾶν τολματὸν, ἐπεὶ πένητα —

minorem habet vim, quam ἄπνυς, quod et *Plutarchus Vit. Demetr.* T. VI. p. 47. videtur agnovisse, cum animi affectum, de quo *Sappho* agit, reddat per ψυχῆς ἀπορίαν; deinde, quia statim versus sequentis initio eadem vox, et quidem longe alia significatione iterum occurrit, non erit ferenda in fine versus nostri. Sed *Voss.* versum sequentem omnino non habet, et illius ἄλλα nihil est nisi adverbium ἀλλὰ post ἄπνυς. Erravit igitur hic ob Cod. sui mutilationem. — Sensus est hic: *aliis videor jam exanimis, cum ipsa sentiam, parum re vera abesse, quin moriar.* Fateor tamen, Sapphum in his non satis mihi placere.

V. 17. Jam procedit poetria ad secundam carminis partem, in qua, uti ex unico versu adhuc superstite concludere licet, de ipsius amore egit spreto, et in qua artes forsan commemoravit, quibus amasiam ad se attrahere voluit. Adest hic saltus lyricus, cum prima et secunda pars carminis non arcte cohaereant. Poetria scilicet post laudes puellae celebratas secum haec gemuisse putanda: *utinam tu me redames,* quo facto nunc pergit: *omnia tamen conabor,* scil. ut amorem erga me tibi instillem. — *Τολματὸν* videtur esse Aeolicum pro τολμητέον, *quod audendum est.* — *Πένητα.* Accusativus pertinebat ad sequentia, quae periere. Possimus tamen statuere, πένητα nominativum esse Aeolicum pro πένηττα seu πένησσα, i. q. πτωχή. Cf. *Hesych.* h. v. Tunc versus sensum haberet perfectum, modo

ita totum expleamus: *ἐπεὶ πένητά ἐςιν ἡ γυνὴ ἐρωμένη.* Sperabat ideo *Sappho*, fore, ut muneribus mulierem vincat. Ceterum totus hic versus a plerisque MSS. abest, et in multis quoque editionibus desideratur. *Pearcius Longinum* ad verbum usque *ἄπυυς* tantum *Sapphus* carmen apposuisse, alium autem postea ex altera odes parte unum versum addidisse censet; nec forte sine causa, si, *Longino* ex proposito plura, quam priorem odes partem, citare non opus fuisse, alium vero seriorem, quo lectorem, verba a *Longino* apposita non integrum *Sapphus* esse carmen, edoceret, ex posteriori odes parte versum nostrum adjicere potuisse, expendimus.

SAPPHUS
EPIGRAMMATA.

SAPPHUS EPIGRAMMATA.

Epigramma I.

Παιδνὴ ἄφωνος ἐοῖσα τάδ᾽ ἐννέπω,
ἤν τις ἔρηται,
Φωνὰν ἀκαμάταν κατθεμένα πρὸ
ποδῶν.

Exstat in Anthologiae Codice Vaticano p. 193, perhibetque inscriptionem statuae puellae recens natae, quae ipsa loquens inducitur. Docet, se Dianae esse dedicatam, a qua fausta quaelibet deprecatur matri et toti ipsius domo. Sappho vel rogatu parentum puellae hanc inscriptionem re vera composuit, ut statuae inscriberetur, vel fictam aliquam ab ea legimus rem, fictaque nomina; hoc enim sexcenties ab epigrammatum scriptoribus factum esse, ut, quae in epigrammatis tractarent, mere fingerent ex ingenio tanquam res eventu probatas, constat inter omnes.

V. 1. 2. *Παιδνὴ* loco solennioris *παῖς*. -- *Ἄφωνος* hic non tam *voce non praeditus*, quam potius *articulate loquendi facultate destitutus*, vocem enim quivis infans modo natus habet, non vero statim articulatam. Hic versus prior, sicut et quartus, olim fuit vitiosissimus. Codex nempe *Vaticanus* perhibet: *παῖδες ἄφωνος ἐοῖσα τετ᾽ ἐννέπω, αἴ τις ἔρητα,* quod sensu caret. Viri igitur Graece docti varias his verbis medelas attulerunt. Nihil tamen se-

Αιθοπια με κόρα Λατῦς ἀνέθηκεν Ἀριςὼ,

---

se commendat emendatio *Bentleji* ad *Callimach. Fragm.* CCCCXVII. (T. I. p. 566. *Ernesti*), legendum censentis: *παῖδες, ἄφωνος ἔοισά τ', ἔτ' ἐννέπω, αἴ τις ἔρηται*, in iis enim non liquet, cur ad *παῖδες* tantum oratio sit conversa, et quo sensu *τ'* et *ἔτ'* dicta. Non multo melior est *Toupii Epist. Crit.* p. 146. lectio: *παιδὸς, ἄφωνος ἐοῖσά τ', ἔτ' ἐννέπω*, quam ille sic expedit, *loqui hic ςήλην sive cippum, κατθεμένην φωνὰν παιδὸς πρὸ ποδῶν, puellae verbis utentem.* Hoc vero invenustius et ob *τ', ἔτ'* iterum molestum Ut mittam *Pauwium*, qui in notis ad *Anacreontis Fragm.* XCVI. p. 309. suo more multa inepte de nostro epigrammate garrit, et ita rescribit: *παιδὸς ἀφώνω ἐοῖσά τ' ἔτ' ἐννέπω*, in quibus praeter *τ' ἔτ'* et illud nimiam sapit duritiem, quod *ἐοῖσα* absolute sine substantivo aliquo positum est. Sed *Reiskii* quoque *Anthol.* p. 52. conamen, *παιδνὴ ἄφωνος ἐοῖσά γέ τοι 'ννέπω, ἄν τις ἔρηται*, improbo; nam *γέ τοι* languet. Lectio, quam nos recepimus, auctorem habet *Dorvillium Vann. Crit.* p. 193., eaque sensu expedito satis sese commendat, qua de caussa et *Brunckius Jacobsius*que illam secuti sunt, tantum quod *Brunckius* Dorvillianum *αἴ τις* commutaverit in *ἤν τις*. — *Πρὸ ποδῶν* i. e. in basi, supra quam statua erat collocata. Sensus ita comparatus: *qui rogitet, quis ego sim, eum ablego ad inscriptionem in basi positam, haec enim mea est responsio.* Quod si inscriptionem tanquam puellae vocem fingamus,

Ἑρμοκλείδαο τῶ Σαοναϊάδα,

omnino illa potest *indefatigata* vocari, quippe quae interrogantium unicuique respondere haud delassatur, quatenus unicuique semper ante oculos est posita, et ab omnibus legi potest. Vides autem, quam allegorice haec sint dicta.

V. 3-5. *Αἰθοπία* Dianae cognomen, cujus rationem reddit *Stephan. Byzant.* v. *Αἰθόπιον*, dicens: *Αἰθόπιον χωρίον Λυδίας παρὰ Ὕλλῳ, πλησίον τῦ Εὐρίπε, ἀφ' οὗ ἡ Ἄρτεμις Αἰθοπία. οἱ δὲ, ὅτι παρὰ τοῖς Αἰθίοψι διάγεσαν Ἀπόλλων ἤγαγεν αὐτήν· οἱ δὲ τὴν αὐτὴν τῇ Σελήνῃ διὰ τὸ αἴθειν· ὡς Καλλίμαχος.* Ultimum probatissimum mihi videtur; vocem igitur deduco ab *αἶθος* et *ὄψ*, ut *αἰθόπιος* sit: *radiante vultu,* quo epitheto dea ornatur, quatenus Lunam quoque repraesentat. Similiter fratri ejus, Apollini, tanquam Soli, radians vultus saepissime tribuitur. -- *Ἀνατιθέναι* verbum proprium de donariorum consecratione. Fuit autem hic mos foeminis gravidis, ut Dianae, praesidi partuum, et parientibus opem ferenti (qua de causa et *Εἰλείθυια* - ab *ἐλεύθω* - audit), statuas liberorum in utero adhuc latentium devoverent, et, ubi enixae essent, re vera ponerent pro partu felici tanquam donaria (*ἀναθήματα*). Id colligi licet ex *Theaeteti* epigrammate ap. *Jacobs.* T. II. p. 227. *Α. Ὄλβια τέκνα γένοισθε· τίνος γένος ἐςέ; τί δ' ὑμῖν Ὧδε καλοῖς χαρίεν κείμενόν ἐς ὄνομα; Β. Νικάνωρ ἐγὼ εἰμὶ, πατὴρ δ' ἐμοὶ Εὐπτοίητος, Μήτηρ δ' Ἡγησὼ, κεἰμὶ γένος Μακεδών. Γ. Καὶ μὲν ἐγὼ Φίλα εἰμὶ, καὶ ἔςι μοι οὗτος ἀδελφός· Ἐκ δ' εὐχῆς τοκέων ἕςαμες*

Σὰ πρόπολος, δέσποινα γυναικῶν· ἃ σὺ χαρεῖσα

ἀμφότεροι. Ex toto hoc carmine simul apparet, has statuas *viventium* tantum infantium, non *mortuorum* esse positas. Id quod *Pauwii* causa moneo, qui puellam aliquam hanc statuam Dianae erexisse ex voto, in medio vero opere diem obiisse supremum, haeredesque, perficientes quod illa inchoaverat, epigraphen hanc marmori inscripsisse credit. — *Ἑρμοκλείδαο*, scil. *γυνὴ*, non *θυγάτηρ*, majori enim omnino jure hic pater puellae, cujus statua erat, commemoratur. cf. *Dorvill.* p. 198. — *Σαοναϊάδης*, patronymicum, *filius Saonaei*. Est autem solenne Graecis, ut in nominando aliquo homine ejus praeterea patrem, avum, vel interdum plures etiam majores adjungant, discriminis, puto, causa ab aliis, qui idem gererent nomen. cf. *Apollon. Rhod.* I. 118. sqq., 133. sqq., 139-183., 202., 232. *Sophocl. Oed. Tyr.* 267. sqq., et alios. Ceterum hic versus quartus olim misere erat depravatus. In Cod. *Vat.* exstat scilicet: *ἑρμοκλείταο τῶς αὖν αἴάδα. Reiskius* mutabat: *Ἑρμοκλύτοιο, κάτω ὃς παρὰ νῦν αἴδα, σὸς πρόπολος.* Eum secutus *Toupius* legit: *Ἑρμοκλείδαο τῷ ῥα νῦν εἰν αἴδα.* At haec re vera nimium quantum recedunt a manuscripta lectione, tum et *σὸς πρόπ.* h. l. ferri nequit, nam ita in sequentibus pronomen relativum *ἃ*, quod lege Grammatica semper sese refert ad substantivum proximum, praeter morem se referret ad ulterius remotum, ad Aristum puta. Male quoque locum tractavit *Pauwius*, qui emendat: *Ἑρμοκλείδαο τῷ Σαΐω ἰδίᾳ*, quemque refellit *Dorville* l. c.

Πρόφρων ἁμετέραν εὐκλεΐσον γενεάν.

Omnia contra expeditissima, si modo Codicis *Vat.* verba τὼς αὖν ἀϊάδα in duas dispescuntur voces, et υ in ο mutatur, ut τῶ Σαοναϊάδα oriatur, id quod primo *Gujetus* tentabat. — *Πρόπολος* genus hominum ad templa purganda adhibitum, postea autem majori honore habitum, cum totius templi cura, ejus claves, quin etiam aerarium illi crederetur; cf. *van Dale Dissertat.* IVta. — *Δέσποινα γυναικῶν.* *Orpheus Hymn.* XXXVI. in *Dian.* v. 11. p. 299. *Herm.* eam nominat παμβασίλειαν. *Antipatro Sidonio Epigr.* XXIII. 1. (ap. *Jacobs.* T. II. p. 11.) est πότνια γυναικῶν.

V. 5-6. Puella jam facit vota pro ipsius familiae incolumitate. — *Χαίρειν* h. l. propitium esse, ut Latinorum *salvere.* vid. *Callim. Hymn.* in *Del.* 326., in *Lavacr. Pallad.* 140., *Bion. Idyll.* VIII. 4., *Horat. Carm.* I. 32. 15. Quia scilicet Dianae neocoros fuit Aristo, deam prae aliis ei fauturam exspectari poterat. — *Ἁμετέραν.* Hanc vocem non concoquit *Pauwius*: *An*, dicit, *statua habebat familiam et, neglecta familia dedicantis, commendabat deae familiam suam?* At si primum carminis versum recte constituisset, non tales sane ineptias edixisset. Imo potius sensus requirit, verbum ἁμετέραν ad puellam in statua referri effictam, non ad statuam ipsam lapideam, quae quidem re vera familiam non habuit. Inutile igitur etiam est, cum *Pauwio* statuere, ultimum distichon alterius epigrammatis partem esse residuam, ab amanuensibus nostro agglutinatam.

Epigramma II.

Τῷ γριπεῖ Πελάγωνι πατὴρ ἀνέθηκε Μενίσκος
Κύρτον καὶ κώπαν, μνᾶμα κακοζωΐας.

Cod. Vat. p. 286. Distichon est inscriptio in cippum sepulcralem Pelagonis piscatoris.

V. 1. 2. *Γριπεύς.* ὁ ῥάπτων τὰ ἁλιευτικὰ λίνα καὶ ὁ ἁλιεύων. *Hesych.* cf. *Theocrit. Idyll.* I. 39. ibique *Schol.* — *Ἀνέθηκε* scil. super sepulcro. — *Κύρτος* vas junceum, quo piscatores utuntur, *nassa.* cf. *Hesych.* h. v. *Oppian. Halieut.* III. 85. Plura loca congessit *Wolf.* ad *Sapph.* p. 243. sq. Nostris dicitur *Fischreuse, Fischkorb.* — *Κώπη, remigium,* a κόπτειν (sc. ὕδωρ) ita dictum. Remigium vero quoque instrumentum ad piscaturam pertinens, quatenus in ea cymbis remigiis instructis opus est. — *Κακοζωΐας.* Miseram piscatoris vitam *Moschus Idyll.* V. 9. ita delineat: Ἡ κακὸν ὁ γριπεὺς ζώει βίον, ᾧ δόμος ἡ ναῦς, Καὶ πόνος ἐντὶ θάλασσα, καὶ ἰχθύες ἁ πλάνος ἄγρα. Cf. et *Antiphanes* ap. *Stob. Flor.* tit. LIV. p. 227. *Grot.* Totius epigrammatis sensus assequendi gratia memoria tenendum, morem fuisse antiquis, sepulcris ea instrumenta, quibus mortuus per vitam usus erat, tanquam vitae generis emblemata imponendi, juxtaque cippum cum epigrammate, in quo de his instrumentis scriptum fuit, erigendi. Comparant in rem *Homer. Od.* λ. 75., μ. 14. et inde *Virgil. Aen.* VI. 232.

Epigramma III.

Τιμάδος ἅδε κόνις, τὰν δὴ πρὸ γάμοιο θανοῖσαν
Δέξατο Φερσεφόνας κυάνεος θάλαμος,

Cod. Vat. p. 285. In obitum Timadis puellae, aetatis flore mortuae, inscriptio sepulcralis.

V. 1. 2. *Τιμάδος ἅδε κόνις* pro: *in hoc sepulcro Timadis latet cinis.* — *Πρὸ γάμοιο,* cum adhuc innupta, virgo esset Timas. cf. *Anytes Epigr.* XIX. (ap. *Jacobs.* T. I. p. 134.): *Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινὼ Μάτηρ ὠκυμόρου παῖδ' ἐβόασε φίλαν, Ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, ἃ πρὸ γάμοιο Χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ' Ἀχέροντος ἔβα.* vid. etiam *Simonidis Epigr.* XCVIII. T. I. p. 77. sq. — *Τὰν δέξατο* i. e. *quae venit.* Locus aliquis saepius tropice tanquam persona consideratur, quae eum recepit, qui eo venit. cf. *Fragm.* LXXXV. — *Θάλαμος* h. l. domus sive palatium, in quo Pluto una cum Proserpina uxore regnat apud inferos: haec autem domus rursus pro Orco omnino posita. cf. *Theogn. Gnom.* 951. p. 39. *Br.* Vulgo in Orci domum (*εἰς Ἀΐδα* seu *Ἀΐδαο*) venire is dicitur, qui diem obit supremum. cf. *Nostram Fragm.* LXXXVI., *Sophocl. Antig.* 822., *Apollon. Rhod.* II. 353., IV. 1510. — *Ἀς ἀποφθιμένας* sunt Genitivi consequentiae, non igitur opus cum *Obsopoeo* supplere *ἕνεκα,* vel rescribere *ᾇ ἀποφθιμένᾳ.* Cod. *Vat.* *ἀπὸ φθιμένας.* — *Καὶ* mo-

῞Ας καὶ ἀποφθιμένας πᾶσαι νεοθᾶγι σιδάρῳ
῞Αλικες ἱμερτὰν κρατὸς ἔθεντο κόμαν.

---

lestum videtur *Purgoldo Observat. Crit.* p. 293., qui in illius locum praepositionem κατ᾽ (ad ἔθεντο) restituere mavult. Et hoc duriusculum, quod ἔθεντο nimium est remotum, et jam aliud verbum, ἀποφθιμένας, intervenit. *Καὶ* neutiquam tentandum, et ex sermonis Graeci indole omnino ferendum. In orationis nexum ita sese accommodat: *quae puella non tantum est mortua, in cujus morte etiam nonnulla ab amicabus sunt facta.* Exempla huic similia laudabo *Aesopi Fab.* II. ἃ καὶ συνετρίβη πεσόντα. *Apollodori Bibl.* III. c. 4. fin. ὃ καὶ τὴν λύπην αὐτῶν ἔπαυσε. — *Νεοθᾶγι σιδάρῳ. Planud. Ursin. Stephan.* νεοθηγεῖ χαλκῷ. — *Τίθεσθαι κόμαν σιδάρῳ* nihil aliud nisi subsecare comam ferro, κείρεσθαι. Mos nempe fuit Graecis aliisque veteribus populis, ut in luctu capillum detonderent. cf. *Hom. Od.* δ. 198., ω. 45. *Aeschyl. Choeph.* 178. *Eurip. Orest.* 128. *Bion. Idyll.* I. 80. sq. *Herod.* II. 36. Quin etiam supercilia interdum resecasse docet locus *Artemidori Oneirocr.* I. c. 27.

SAPPHUS FRAGMENTA.

SAPPHUS FRAGMENTA.

Ex Hephaestione.

I.

Hephaest. Enchir. p. 23., cujus Scholiastes primum repetivit versum p. 90, 23. *Τὸ μὲν οὖν αἰολικὸν ἔπος τὸ καταληκτικὸν τοιοῦτόν ἐστι·*

Κέλομαί τινα τὸν χαρίεντα Μένωνα
καλέσσαι,
Εἰ χρὴ συμποσίας ἐπ' ὄνασιν ἐμοὶ
γεγενῆσθαι.

Nec *Hephaestion*, nec ejus *Scholiastes* hoc fragmentum claris verbis *Sapphus* dicit, cui vel sic tamen adscribendum putaverim tam ob externa quam interna vestigia. Ob externa, quod Aeolico metro, *Sapphoni* tam vulgari, est conscriptum, quodque auctores modo laudati in serie fragmentorum apposuerunt, ex quibus prior, *Hephaestion,* duo saltem (IV. et V.) aperte *Sapphus* nomine in fronte insignivit. Ob interna, quia dicendi genus et res tractatae

prorsus sunt Sapphicae. Poetria fingenda est interesse symposio cuidam, ad quod et Menonem amasium arcessiri jubet. — *Καλεῖν* verbum proprium de invitatione ad epulas; cf. *Plato Sympos.* c. II. §. 9. *Plut. Sympos.* VII. §. 6. — *Ὄνασις* h. l. *voluptas, desiderium.* Nos fere diceremus: *Soll mir das Mahl nach Wunsche seyn.* Ceterum pluralis *συμποσίας* poetice pro singulari.

II.

Hephaest. ib. p. ead. *Πεντάμετρα δὲ καταληκτικὰ εἰς δισσύλλαβον·*

Τίνι σ᾽, ὦ φίλε γαμβρὲ, καλῶς εἰκάσδω;
Ὄρπακι βραδινῷ σε μάλιςʼ εἰκάσδω.

Hoc quoque fragmentum *Sapphus* est credendum, iisdem de causis. Ad epithalamium quoddam pertinuisse inde apparet, quod sponsi laudes in eo celebrantur. *Hephaestion* metrum nominat *pentametrum*, est autem potius *tetrametrum*, quod basis, qua omnes versus Aeolici gaudent, per se sola spectanda et a pedibus ipsis est separanda, nihil igitur ad horum metrum confert. Non interim *Hermanno* consentio, qui (*Handbuch* p. 148.) contendit, basin nullum omnino habere rhythmum, nam *Apelius* V. C. in commentatione sua docta *de rhythmo*, Ephemeridibus musicis Lipsiensibus ad annum 1807-1808. inserta, ex rationibus

musicis satis acute demonstravit, basin nullo modo metro esse destitutam, sed eundem potius rhythmum obtinere, qui in pedibus ipsis deprehendatur. — *Τίνι Pauwius* ad *Hephaest.* p. 116. feliciter restituit pro vulgari lectione *τίω*, quae in sensum non quadrat. Sed absurda est altera, quam profert, explicandi ratio, ex qua vel duas personas hic loqui posse censet, si ita distinguatur: A. *Τίω σ', ὦ φίλε γαμβρέ.* B. *Καλῶς εἰκάσδω.* A. *Ὄρπακι βραδινῷ κ. τ. λ.*, in quibus praeter cetera contra omnem quoque concinnitatem ac elegantiam *εἰκάσδω* duplici sensu esset accipiendum, primum: *conjicio*, deinde: *comparo.* Ceterum indicativum h. l. positum puta pro optativo *εἰκάσδοιμι ἄν*, nam incerta adhuc stat sententia poetriae, comparationem aptam quaerentis; at secunda vice *εἰκάσδω* indicativi retinet vim, quod videlicet jam certe loquitur *Sappho*, postquam suam stabilivit sententiam, et quocum comparet sponsum reperit. — *Ὄρπακι βραδινῷ.* Tertium comparationis est flos aetatis juvenilis, in quo sponsus constitutus praedicatur.

III.

Hephaest. ib. p. ead. *Τὸ δὲ τετράμετρον·*

Θυρωρῷ πόδες ἐπτόργυιοι,
Τὰ δὲ σάμβαλα πενταβόεια,
Πίσυγγοι δὲ δέκ' ἐξεπόνασαν.

Hi versus *Sapphum* iterum prae se ferre videntur auctorem, ob eas, quas in primo fragmento attulimus, rationes. Quibus novum accedit argumentum ex *Demetrio Phalereo* (LXVII. p. 69. *Schneider*), dicente: *ἄλλως δὲ σκώπτει* (sc. *Σαπφὼ*) *τὸν ἀγροῖκον νυμφίον, καὶ τὸν θυρωρὸν τὸν ἐν τοῖς γάμοις*, quae quidem verba nostrum ipsum innuunt locum, in quo re vera talis jocosa portitoris exstat irrisio, a magnis ejus pedibus petita. Metrum est iterum Aeolicum, et quidem trimetrum catalecticum in bisyllabum. — *Θυρωρός*. Hoc hominum genus in nuptiis quoque celebrandis est adhibitum. Ubi scilicet sponsus cum sponsa thalamum nuptialem intraverat, per jocum portitor est collocatus juxta illius portam, qui videret, ne qua virgo eo penetraret, sponsae contra vim sponsi defendendae causa. cf. *Pollux* III. c. 3. §. 42. — *Ἑπτόργυιος* *septem ulnas continens.* Est verborum compositio Sapphica, ex *ἑπτὰ* et *ὀργυιά.* Vox legitur in *Scholiis Hephaestionis*, cum ipsius Grammatici textus vulgaris praebeat *ἑπταθόργυιοι*, quod quid sit, assequi non licet. *Pauwius* p. 116. nec unum, nec alterum concoquere potest; dicit enim, si *ἑπτόργυιοι* legatur, in metri Aeolici medias sedes spondeum, si *ἑπταθόργυιοι*, amphimacrum intrudi. At vellem modo *Scholiasten* p. 90. inspexisset,

qui hic multo clarius ipso *Hephaestione* videt, et metrum Aeolicum in mediis pedibus aeque spondeum ac dactylum recipere affirmat, in quo utique veri quid latet, dum sedes saltem pares spondeum admittunt, ut ipsa hujus metri docet natura. Si vero *ἑπταθόργυιοι* esset vox Graeca, nec illa obficeret metro, quandoquidem tertia ejus ab initio syllaba est anceps. Muta scilicet cum liquida, quamvis haec illi sit praeposita, Graecis saepius antecedentem syllabam reddit brevem. Poteramus igitur carere *Pauwii* emendatione: *πόδες ἑπτὰ θεουργοὶ*, quae praeterea absque sensu est. Animadvertis autem facile, totam imaginem esse hyperbolam, sub eaque haec latere: *portitoris pedes sunt permagni ideoque informes.* — *Σάμβαλα* Aeol. pro *σάνδαλα*. vid. *Hesych.* h. v. Ita *Scholiastes*; textus *Hephaestionis* corrupte *σύμβαλα*. — *Πενταβόειος quinque pellibus bovinis compositus.* Magnitudinem sandaliorum innuit, et ipsum rursus hyperbolice dictum.

IV.

Hephaest. ib. p. 24. *Τῶν δὲ ἀκαταλήκτων τὸ μὲν πεντάμετρον καλεῖται σαπφικὸν τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον, ᾧ τὸ δεύτερον Σαπφοῦς ὅλον γέγραπται·*

Ἠράμαν μὲν ἐγὼ σέθεν, ἄτε πάλαι πόκα —

Poetria puellam aliquam, cujus amore olim erat capta, alloquitur. Eam Atthidem fuisse, ex loco *Terentiani* (ap. *Putsch.* p. 2431.) suspicor. Ille scilicet, metrum Aeolicum pentametrum tractaturus, ita loquitur: *Aeolicum ex isto* (scil. metro, de quo antea egerat) *genuit doctissima Sappho, Cordi quando fuisse sibi canit Atthida.* In quibus versus secundus profecto nihil aliud sibi vult, quam quod fragmento nostro dictum reperimus. — *Ἄτε* respicit vel *Sapphum,* vel Atthidem, prout verbum, quocum conjungendum erat versu sequenti deperdito, prima aut secunda persona expressum reperiebatur.

V.

Hephaestion ib. p. ead. *Τὸ δὲ τετράμετρον ἀκατάληκτόν ἐςι τοιοῦτον·*

Ἔρος δ' αὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ,
Γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.
Ἀτθὶς, σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο
Φρόντις δὴν, ἐπὶ τ' Ἀνδρομέδαν πόκα —

Sappho Atthidem aequalem compellat voce, se novo furore amatorio incensam esse dicens.

Metrum est Aeolicum trimetrum acatalecticum. — *Ἔρος* antiqua forma pro solenni *ἔρως*. Illa apud *Scholiasten*, haec apud *Hephaestionem* obvia. Vox *δ'* fragmentum sapit. — *Αὖτε*, *rursus, cum antea remissionem aliquam amoris habuerim*. Sic *Horat. Carm.* I. 19. 1. *Mater saeva Cupidinum, Thebanaeque jubet me Semeles puer, Et lasciva Licentia Finitis animum reddere amoribus.* Et IV. 1. 1. *Intermissa, Venus, diu, Rursus bella moves.* — *Λυσιμελὴς membra dissolvens*, i. e. *corpus tabefaciens ob amasii desiderium.* vid. *Archilochus* ap. *Hephaest.* p. 51. *ἀλλά μ' ὁ λυσιμελὴς, ὦ 'ταῖρε, δάμναται πόθος.* cf. *Hesiod. Theog.* 121. et 911. Vulgatiori ratione hoc epitheton tribuitur somno, ut ap. *Homer. Od. υ.* 57., *ψ.* 343. *Mosch. Idyll.* II. 4. et saepius alibi. Sicut hic amorem corpus tabefacientem dicit poetria, sic *Oda* I. 5. de tabe animi ab eodem proficiscente locuta erat. *Ursinus* ad *Virgil. Ecl.* II. 68. p. 26. *Valcken.* ex quibusdam Codd. dedit: *αὖτ' ἐμὸς λυσιμελὴς δονεῖ*, quod vero scabrum est. — *Δονεῖ*. Duo *Hephaestionis* Codd. vitiose, alter: *μ' ὄλλυσι μελίσδων*, alter: *μ' ὄλλυσι μελήσδων αἰγλύκυπικρον.* — *Γλυκύπικρον* compositum ex duabus antithesibus, *γλυκὺς* et *πικρὸς*, *dulciamarus*, satis venuste de amore, qui quidem est dulcis, sed simul

tamen varias semper curas ac molestias affert, quae et amarum mixtim eum reddunt. cf. *Meleagr. Epigr.* LXXVI. (ap. *Jacobs.* T. I. p. 23.), *Posidipp. Epigr.* XI. (ib. T. II. p. 49.) vid. et *Catull. Epithalam. Pel. et Thet.* 95. ibique *Döring.* Vocem ex *Sappho* citat *Max. Tyr. Dissert.* XXIV. p. 297. (cf. *Fragm.* LXXXXIII.) — *Ἀμάχανος, contra quem nulla ars potest adhiberi, inexpugnabilis.* Amor scilicet, ut proverbium dicit, vincit omnes; ille potentissimus deorum, cujus imperio coelum, terra, mare, orcus est subditus. cf. *Orpheus Hymn.* LVII. p. 324. *Hermann. Hesiod. Theog.* 120. sqq. *Alexis* ap. *Stob. Flor.* tit. LXIII. p. 243. *Grot.* — *Ὄρπετον.* Insolens haec vox forma videtur Aeolica pro vulgari *ὄρνις* vel *ὄρνεον.* Multi interim in hoc non acquiescentes, varias verbo medelas attulere. *Portus* et *Barthius* in formas solennes, ille in *ὄρνεον*, hic in *ὀρνίθιον* commutare malebant. Prius sane probum, at posterius metro non convenit. *Rutgersius Var. Lect.* IV. c. 6. p. 342. et *Reinesius V. L.* III. c. 9. p. 486. sq. effinxerunt *ἕρπετον*, quae scilicet vox non tantum de reptili, sed omnino de quovis animali, ideoque tam de avi quam bellua accipi potest. *Rutgersio* primaria significatio in mente insidebat, *Reinesius* de fera accipit, in quo quidem fallitur

uterque. Debebant potius de avi cogitare, (qualis Amor et ap. *Anacreontem Od.* XXXII. 6. sqq. ac *Bionem Idyll.* II. 4. et 13. audit) nam comparatio cum bellua vel reptili non satis h. l. conveniret τῷ γλυκύπικρον, quod blandientis nimirum videtur, ut *Sappho* aviculam potius sit cogitanda Cupidinem sibi finxisse, quae nihilominus tamen prorsus sit inexpugnabilis; imago dignior sane poetria nostra, quae semper ludit, in cujusque animum mollem vix Amoris cum fera comparatio intrare potuit. Quod reliquum est, hisce duobus versibus non tam secum loquitur *Sappho*, quam ad Atthidem potius verba facit, cujus nomen versu statim sequenti apponit, et cui igitur totam oden scripsisse non dubium videtur.

V. 3-4. *Ἀτθίς.* De ea vid. *Diatr.* p. XXX. Putidam atque obscoenam allegoriam, quam *Pauwius* ex illius nomine hic extorquere studet, verbo attingere ne dignor quidem. Merito iste criticaster vapulat a *Dorvillio Vann. Crit.* p. 522. sq. — *Φρόντις*, ut alias *μέλημα*, *κῆδος*, *cura*, pro amore, quandoquidem amator amasiam semper curat. cf. *Nostram Fragm.* CVIII. *Homer. Od.* λ. 301. *Virg. Georg.* IV. 354. *Aen.* IV. 551. *Ovid. Amor.* I. 9. 43. *Tibull.* III. 6. 29. *Φροντὶς* porro *ἐμέθεν* pro *φροντὶς ἐμοῦ.* — *Δὴν*, *dudum.* Ita egregie *Dorvillius Vann.* p. 524. emendabat, cum antea post

ἀπήχθετο incideretur et sequentia ita efferentur: *φροντὶς δ' ἦν ἐπὶ δ' Ἀνδρομέδαν ποτέ*, in quibus nullus plane exstat nexus cum versibus praecedentibus. At ut nos edidimus, membrorum junctura erit haec: *ego denuo amore flagro; tibi vero, Atthis, hi mei furores jam dudum invisi erant.* — *Τέ* reposui pro *δ'*, illud enim fluxui orationis, quamvis ea non sit absoluta, multo magis convenit; ac *δέ*, tam paucis versibus *ter* repetitum, molestias affert. — *Ἀνδρομέδα.* De ea cf. itidem *Diatr.* l. l.

VI.

Hephaestion p. 30. *τετράμετρα δέ* (sc. *χοριαμβικὰ*), *ἃ καὶ συνεχέστερά ἐστιν, οἷα ταυτὶ τὰ Σαπφοῦς·*

Δεῦτέ νυν ἁβραὶ Χάριτες καλλίκομοί τε Μοῖσαι.

Habemus hic invocationem Gratiarum atque Musarum. Versus ex prooemio aliquo petitus. Solennis videlicet poetarum erat consuetudo initiis carminum, majorum praecipue, sed tamen etiam minorum, ut odarum, prooemium praefigendi, quo Jovem, Apollinem et Musas vel Gratias celebrabant, eorumque auxilia sibi expetebant. cf. initia *Homeri Iliadis* et *Odysseae*, *Hesiodi* *Ἔργων* et *Theogoniae*, *Orphei Argonauticorum*, *Pindari Odes*

Nem. II. et III. Hanc consuetudinem innuit et *Horat. Carm.* I. 12. 13. et *Liv. Prooem.* sub fin. *Hephaestion* et annotator *Vimariensis* ad *Theocritum* duos alios etiam nobis servarunt versus (cf. *Fragm.* XVI. et LV.), qui iidem Musarum ac Gratiarum exhibent invocationem, et eodem modo prooemio, vel singulis carminibus, vel integris carminum, e. g. odarum, hymnorum, epithalamiorum, libris inserviisse videntur. — *Χάριτες* poetis Lyricis promiscue usurpantur cum Musis, sunt enim eae, quae mortalibus omnia pulchra, praeclara et suavia suppeditant, quae poetam etiam effingunt; merito igitur una cum Musis poeticae, praesertim Lyricae, omnium quippe praeclarissimae, praesunt atque a poetis tanquam adjutrices advocantur. cf. *Orph. Hymn.* LIX. p. 327. sqq., *Pind. Olymp.* XIV. 7. sqq., *Pyth.* VI. 1. sqq., IX. 1. sqq., *Nem.* X. princ. — *Καλλίκομοι.* Graeci multa cura capillos alebant, ideoque omnino ab his pulchritudinis nota peti poterat. Eodem epitheto Musae ornantur ab *Anacr.* ap. *Athen.* I. p. 21. A.

VII.

Hephaestion p. 34. *ῳ̃ μέτρῳ* (sc. *ἀντισπαστικῷ*) *ἔγραψεν ᾄσματα καὶ Σαπφὼ ἐπὶ τῆς τȣ̃ ἑβδόμȣ·*

Γλυκεῖα μάτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκειν
τὸν ἱςὸν,
Ποθῳ δαμεῖσα παιδὸς, βραδινὰν δι'
'Αφροδίταν.

Hermannus p. 99. hos versus non antispasticos, sed asynartetos, ex duobus iambicis, quorum posterior incipiat per anacrusin anapaesticam (⏑–́⏑–⏑––|⏑⏑–́⏑–⏑–⏑) esse affirmat. At *Hephaestion* rectissime eos nominat antispasticos, quippe qui caesuram in primi pedis habent fine, si modo observabimus, metrum antispasticum ex natura sua nihil aliud nisi ionicum a majori cum anacrusi esse. Schema metricum igitur sic procedet:

⏑ | –⏑–⏑, | ––⏑⏑ | –⏑–⏑ | –⏑̄

Γλυκεῖα est blandientis vox, qua poetria matris iram, quae tunc forsan excitari potuisset, ubi illa audiret, se prae amore texere non posse, retinere studet. Similiter Latinis vox *dulcis* in captatione benevolentiae usurpatur. cf. *Tibull.* III. 6. 9. *Vos modo proposito dulces faveatis amici.* — *Οὔτοι*, *non sane.* Alii: *οὔτι.* — *Ἱςὸς*, *jugum textorium,* tunc etiam *tela* vel *stamen* ipsum, sic dictum ab *ἵςημι*, quandoquidem texendi ratio apud veteres ita fuit comparata, ut telae ad perpendiculum essent extensae, cum apud nos secundum li-

neam horizontalem pandantur. — *Κρεκειν pulsare,* praesertim de staminis radio textorio et pectine (*Kammlade*), deque citharae plectro adhibitum, et, ut videtur, ex istius pulsus sonitu petitum. *κρέκειν τὸν ἱςὸν* nunc pro *texere*. cf. *Ovid. Metam.* VI. 55. sqq. Inter praecipua mulierum Graecarum negotia texendi pertinebat ars, quae neutiquam dedecori iis fuit, cum ipsae reginae lanam tractarent, ut v. c. ex notissimo illo Penelopes (*Od. β.* 89. sqq.) exemplo colligere licet. — *Πόθος* desiderium videndi amasii. cf. *Anacr. Od.* XXXIII. 8. *Mosch. Idyll.* II. 25. — *Δαμεῖσα victa,* i. e. *tota repleta.* Res, de qua hic agitur, cum hominis natura convenit, neminem enim latebit, cupidine alicujus rei flagrantem vix uno diu loco commorari, et opus quoddam assiduum, quale textura, perficere posse. — *Παιδὸς* h. l. iterum blandientis pro *juvene.* cf. *Dorvill. Vann. Crit.* p. 195. — *Δι᾽ Ἀφροδίταν,* i. e. quae cupido a Venere mihi instillata est. *Ursinus* apposite comparat *Horat. Carm.* III. 12. 3. sqq. *Tibi qualum Cythereae Puer ales, tibi telas, operosaeque Minervae Studium aufert.* Quo in loco poeta Romanus *Sapphum* forsan ante oculos habuit. In rem cf. etiam *Valcken.* ad *Theocr. Adon.* p. 358. sq.

VIII.

Hephaestion p. 36. *Οἷα ἐςι τοιαῦτα Σαπφῦς·*

Πλήρης μὲν ἐφαίνετ' ἀ σελάνα·
Αἲ δ' ὡς περὶ βωμὸν ἐςάθησαν —

Integrum hoc *Sapphus* carmen, si quid video, de compluribus agebat pharmaceutriis, quarum apparatus magici in decantando a poetria describebantur, prorsus ita ut alias factum videmus a *Theocrito Idyll.* II., *Virgilio Eclog.* VIII. et *Horatio Epod.* V. Eo lubentius, *Sapphum* inter cetera tale quoque carmen, in quo philtra describeret ea, quibus mulier saga, una vel pluribus sociabus auxilium praestantibus, amasium ad se detrahere studeret, quondam componere potuisse, credam, quo saepius ad res amatorias recurrit. Versus quidem nostri nihil aliud ad manum praebere videntur. Metrum est ionicum a majore trimetrum brachycatalecticum. — *Πλήρης - σελάνα.* Pharmaceutriae noctu opus adgressae sunt, imminente luna, quam quidem, sicut et Hecaten, auxilio vocarunt. Pergratum autem illis erat, si luna pulchre effulgebat, quod nempe signum putabant, illam ipsarum conatibus favere. cf. *Theocrit. Idyll.* II. 10. sqq. *Horat. Epod.* V. 51. sq. — *Αἲ* sunt foeminae incantantes. — *Βωμόν.* Altare praesto fuit sagis ad sacra

magica facienda. vid. *Virgil. Ecl.* VIII, 64. sqq. Sensus nostri versus non est absolutus, quia sequentia nobis invidit Grammaticus.

IX.

Hephaestion p. 37. *καλεῖται δὲ* (nempe ionicum a majore tetrametrum acatalecticum) *αἰολικὸν, ὅτι Σαπφὼ πολλῷ αὐτῷ ἐχρήσατο, οἷον·*

Εὐμορφοτέρα Μναΐδος, καὶ τᾶς ἀπαλᾶς Γυρίννας
Ἀσαροτέρα. σῦ δ' ἀμ' ἐπ' ὤρανα σέθεν τυχοῖσαν —

Totum hoc fragmentum olim prorsus fuit corruptum. Prior versus satis probabili ratione a doctis est sanatus, secundo certam medelam nondum attulerunt. Nec ego post varia tentata ad certum quid devenire potui (et aliis eadem eventura confido), qua de causa locum intactum relinquere malui. — *Μναΐδος.* Antiqua lectio est: *Μνασιδίκα τᾶς κ. τ. λ.* — *Γυρίννας* jure meo reposuisse mihi videor pro vulgari *Γυρήνω, Γυρίνω* vel *Πυρίνω.* Gyrinna tanquam *Sapphus* aequalis ex *Maximo Tyrio* satis nota. cf. *Diatr.* p. XXX. — *Ἀσαροτέρα. Ἄσαρος* (ex *α* privativo et *σαίρω, purgo,* tum etiam *orno*) *non ornatus,* scil. nitore aliquo externo et fucato, sed naturalem habens pulchritudinem.

X.

Hephaestion p. 38. *ἐνίοτε δὲ ἐναλλὰξ τὰς ἰωνικὰς ταῖς τροχαϊκαῖς παραλαμβάνουσιν, ἀντὶ μὲν τῶν ἰωνικῶν, ἔσθ' ὅτε τὰς δευτέρας παιωνικὰς παραλαμβάνοντες, ἀντὶ δὲ τῶν ἑξασήμων τροχαϊκῶν, ἔσθ' ὅτε τὰς ἑπτασήμους τροχαϊκάς·*

Δέδυκε μὲν ἁ σελάνα
Καὶ Πληϊάδες, μέσαι δὲ
Νύκτες, παρὰ δ' ἔρχεθ' ὥρα,
Ἐγὼ δὲ μόνα καθεύδω.

Poetria secum reputat, amasium tempore promisso non advenisse. Metrum Hephaestion numerat inter ionicum a majore, in quo tamen fallitur, quod pes ionius nunquam a syllaba brevi incipere potest. Habemus hic potius quatuor versus choriambicos cum anacrusi, quorum caesura in primi pedis exstat fine, excepto versu tertio, ubi est neglecta.

V. 1. 2. *Δέδυκε* scil. *εἰς πόντον*, ex notione veterum dictum, quippe qui finxerunt, solem, lunam atque stellas, praeter ursam majorem ac minorem, eo tempore, quo non fulgerent, in mare submergere, ibique novos ignes colligere. cf. *Ovid. Trist. Eleg.* IV. 1. et multa alia auctorum loca. — *Πληϊάδες*, *Pleiades*, alias *Vergiliae* dictae. Sunt autem septem filiae Atlantis ex Pleione, post mor-

tem inter sidera relatae, ubi in Tauri dorso sub orientem conspiciuntur. Nomina earum sunt Maja, Electra, Taygete, Asterope, Merope, Halcyone, Celaeno. cf. *Arat. Phaenom.* V. 255. p. 66. *Buhle*, ibique *Schol.* p. 283., *Apollod.* III. c. 10. §. 1. *Schol. Apollon.* ad III. 22. *Macrob. Saturn.* V. c. 2. Doctorum sententiae, quatenus *Πληϊάδες* audiant, haud sibi constant; probabilior interim ratio est, eas hoc nomen traxisse a *πλέειν*, quandoquidem veteres earum ortu, qui in mensem Majum cadit, navigationem incipere, et occasu, qui est in Novembri, finire solebant. cf. *Hesiod.* *Ἔργ.* 618. sqq. *Μέσαι δὲ νυκτες.* Pluralis poetico more pro singulari. Exstat in his exegesis praecedentium. Tempus nempe, quod illic signis quibusdam specialioribus innuerat *Sappho*, jam aperte nominat.

V. 3. 4. *Ὥρα* tempus definitum, quo amasius advenire velle promiserat. — *Καθεύδειν* non sane in propria significatione accipiendum, quia is qui dormit, loqui simul non potest, sed positum pro *in lecto cubare.* cf. *Plato Sympos.* c. XXXVI. §. 2. *ἅμα μὲν ἐν τῷ ψύχει καθηῦδον* i. *sub divo frigido cubarunt, pernoctarunt.* Sic etiam nos vernacula lingua vocem saepius ea potestate usurpamus. In sensum cf. *Theocrit. Idyll.* XX. 45. *μώνη δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδοις.* *Ovid. Heroid. Epist.*

I. 7. *Non ego deserto jacuissem frigida lecto.* *Horat. Carm.* III. 7. 6. *frigidas Noctes non sine multis Insomnis lacrimis agit.* *Propert. Eleg.* I. 12. 13. sq. *Nunc primum longas solus cognoscere noctes Cogor, et ipse meis auribus esse gravis.*

XI.

Hephaestion p. 39. *Σαπφοῖ δέ·*

Τί με Πανδιονὶς, ὦ ᾽ραννὰ χελιδών —

Metrum est ionicum a minori trimetrum acatalecticum. — *Πανδιονὶς, filia Pandionis,* i. e. Procne in hirundinem mutata. Rem narratam habes ap. *Ovid. Metam.* VI. 412-676. cf. *Hesiod.* *Ἔργ.* 566. *Horat. Carm.* IV. 12. 5. sqq. *Virgil. Eclog.* VI. 79. — *Ὦ ᾽ραννὰ* pro *ὦ ἐραννή.* Hanc lectionem debemus *Arnaldo,* quem secutus *Dorvillius Vann. Crit.* p. 531 Nec tamen damnaverim *Porti* opinionem, quam et *Albertius Observat. in N. T.* p. 226., *Pauwius* ad *Hephaest.* p. 131. ac *Wolfius* ad *Sapph.* p. 235. arripuere, qui legere jubent *ὡραία,* i. *verna, vere adveniens.* Nam vulgata lectio *ὠράνα* non ferenda, quatenus, docente *Hesychio,* illa vox denotat nidum hirundinum (*χελιδόνων ὀροφὴν*) et hic ideo nullum praebet sensum.

XII.

Hephaestion p. 40. *τῶν δὲ τριμέτρων* (scil. *ἰωνικῶν ἀπ᾽ ἐλάσσονος*) *τὸ μὲν ἀκατάληκτον·*

Προσελεξάμην ὄναρ Κυπρογενεία.

παρὰ τῇ Σαπφοῖ.

Versus est ionicus a majore cum anacrusi *διχρόνῳ*, sive antispasticus, non vero jonicus a minore, ut *Hephaestion* contendit, nam sic in secundam sedem intruderetur epitritus secundus (_⏑__), qui in ionicis a minore locum non habet. — *Προσλέγομαι*, *recubo juxta aliquem. προσελεξάμην Scholiastes Hephaestionis* p. 41, 22. habet; ipse *Hephaestion* multo deterius *προσεδεξάμην*. — *Κυπρογένεια* i. Venus, quae ex mari, ubi orta erat, primo adnatavit Cypro, hacque ratione ibi nata esse dici poterat. Aliam de Veneris ortu fabulam *Nostra* supra *Od.* I. 2. attigerat.

XIII.

Hephaestion p. 47. *οἷον παρὰ Σαπφοῖ·*

Ἔχει μὲν Ἀνδρομέδα καλὰν ἀμοιβάν.
Σαπφοῖ, τί τὰν πολύολβον Ἀφροδίταν —

Hephaestion versus computat ad metra *κατ᾽ ἀντιπάθειαν μικτὰ*, eosque nominat *ἐπιωνικοὺς ἀνακλωμένους*, ita schema perhibens:

⏑—⏑— | ⏑⏑—⏑ | —⏑—⏑

Denominata haec ultima ferenda, sed *μέτρα κατ᾽ ἀντιπάθειαν μικτὰ* sunt merae argutiae Grammaticorum, cum rhythmus illorum non sibi contradicat, sed omnes pedes eundem numerum, quamvis variatum, contineant. Sic e. g. in versibus nostris epionicis fundamentum metri est iambicus trimeter catalecticus:

⏓ –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏓

Dactylo scilicet pro secundo trochaeo posito, statim hoc schema prodibit:

⏑ | –́ ⏑ – ⏑ ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏓

V. 1. 2. Nexum inter hos duos versus non perspicimus, cum secundi sensus non sit absolutus. Paene interim *Scholiastae* p. 48. verbis, qui versum secundum *δεύτερον παράδειγμα* nominat, adducor, ut versus nostros ex diversis prorsus locis decerptos esse putem. — *Σαπφοῖ* tertio vel quinto casu accipi potest: ego quinto accepi, ut poetria se ipsam adloquatur. — *Πολύολβος* i. q. *πολυόλβιος*, notum deorum epitheton. cf. ad *Od.* I. 12.

XIV.

Hephaestion p. 49. *οἷον τὸ Σαπφοῦς·*

Αὖτα δὲ σὺ Καλλιόπα.

Versiculus est anapaesticus dimeter brachycatalecticus, et, ut *Hephaestion* tradit, primam

partem asynarteti cujusdam explevit. — *Καλλιόπα* praestantissima novem Musarum (cf. *Hesiod. Theog.* 79.), cujus nomen est compositum ex *καλὸς* et *ὄψ*, *quae pulchram, sonoram habet vocem.* Verbum, quod excidit, fuisse videtur: *mihi adsis*, aut simile quid. Ad prooemium quoddam versum pertinuisse haud temere credas.

XV.

Hephaestion p. 55. sq. *ἄλλο ἀσυνάρτητον ὁμοίως κατὰ τὴν πρώτην ἀντιπάθειαν, ἐκ τροχαϊκοῦ διμέτρου ἀκαταλήκτου, καὶ ἰαμβικοῦ ἑφθημιμεροῦς, ὅπερ ἐὰν παραλλάξῃ τὴν τομὴν, γίνεται τροχαϊκὸν προκαταληκτικόν·*

Ἔστι μοι καλὰ πάϊς, χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν
Ἐμφερῆ ἔχοισα μορφὰν, Κλεῒς ἀγαπατὰ,
Ἀντὶ τᾶσδ' ἐγὼ οὐδὲ Λυδίαν πᾶσαν οὐδ' ἐραννάν —

Hos poetriae versus *Hephaestion* igitur recenset inter sic dictos asynartetos, duplici modo, vel ita:

—◡—◡ | —◡—— || ◡—◡— | ◡—◡

vel ita:

—◡—◡ | —◡— || —◡—◡ | —◡—◡

eos dividi posse dicens. Posterior ratio verior, versuum scilicet prior et tertius est trochaicus tetrameter acatalecticus, secundus ejusdem generis, sed brachycatalecticus, omnes autem in medio majorem habent incisionem, quamvis diversis in locis. vid. schema musicum.

V. 1 - 3. Fragmenti nostri auctorem *Hephaestion* non quidem apertis verbis nominat *Sapphum*, cui tamen vix abjudicari possit ob *Cleidis* mentionem, quam poetriae fuisse filiam in Diatribe p. XXII. demonstravimus. — *Χρύσεος*. cf. ad *Fragm.* XXXV. 2. — *Κλεΐς*. *Pauwii* (p. 151.) de hujus vocis etymologia conjectura ea omnino est, quae *Dorvillii* (*Vann. Crit.* p. 56. sqq.) mereat flagellum. Ille scilicet *Κλεΐς* h. l. non tanquam nomen proprium, sed filiae, cujus nomen reticeatur, epitheton accipit ornans: *clavicula dilecta, clavicula amabilis, quia*, ut dicit, *pectus uniuscujuscunque, quamquam firmiter occlusum, aperiebat statim, ut cum Cupidinibus in illud intrare posset.* Imo, bone *Pauwi*, nihil sane magis ridiculum. — *Τᾶς δ'*. Vulgo *τᾶς δ'*, ubi tamen *δ'* per se positum molestias affert. In *Hephaestionis* editione *Florentina* particula omnino deest. — *Λυδίαν*, (*Florent.* *Λυδίας*), Asiae minoris terram amoenam, poetria posuit pro quavis regione pulchra et foe-

cunda. In Lydiam autem potissimum eo facilius incidere poterat, quippe a Lesbo haud admodum longo spatio remota est. — Ἐραννάν. Rursus terrae alicujus nomen sequebatur, quod nobis invidit Grammaticus. Verbum, quo sensus pendens supplendus, λάβοιμι ἂν vel simile quid fuisse apparet. Dicere igitur voluit *Sappho: si vel Lydia tota, vel — mihi offerretur, pro qua filiam darem meam, tamen recusarem.* Similem fere sententiam expressit *Horatius Carm.* II. 12. 21. sqq.

Num tu, quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes,
Permutare velis crine Licymniae?

XVI.

Hephaestion p. 58. καὶ τὰ ἐξ ἰθυφαλλικῶν δύο ἡ Σαπφὼ πεποίηκε.

Δεῦρο δεῦτε, Μοῖσαι, χρύσεον λιποῖσαι —

Verba ex prooemio aliquo petita. cf. ad *Frag.* VI. Metrum duos versus ithyphallicos ad manum suppeditat, quorum rhythmus est trochaicus. — Δεῦτε eandem habet notionem, quam δεῦρο. — Χρύσεον scil. δόμον πατρὸς, nam nihil aptius suppleri posse patet. cf. supr. *Od.* I. 7. In sensum totius facit *Fragm. Stesichori* ap. *Suchfort* p. XXXII. Δεῦρ' ἄγε Καλλιόπεια λιγεῖα.

XVII.

Hephaestion p. 58. *καὶ τὸ ἐκ χοριαμβικῶν ἑφθημιμερῶν τὸ εἰς τὴν ἰαμβικὴν κατακλεῖδα ἡ αὐτὴ ποιήτρια·*

Ὄλβιε γαμβρὲ, σοὶ μὲν δὴ γάμος, ὡς ἄραο,
Ἐκτετέλεσ', ἔχεις δὲ παρθένον, ἂν ἄραο.

Versus ad secundam partem epithalamii cujusdam pertinebant, in qua solito more sponsi atque sponsae laudes fundebantur. Sunt illi vero iterum asynarteti, ex duobus choriambicis dimetris catalecticis compositi. — *Γαμβρὸς*, *gener*, saepius pro *sponso*, ut h. l. cf. *Fragm.* II. *Thom. Magist.* h. v. *Schol. Homer. minor.* ad *Il. ε.* 474. *Pollux* III. c. 3. §. 31., quo loco *ἀνὴρ* *Polluci* audit is, qui modo uxorem duxit, quem vulgo igitur adhuc *sponsum* dicunt. — *Ἐκτελεῖν* verbum proprium de nuptiarum celebratione. cf. *Callim. Hymn. in Apoll.* 14. ibique *Spanhem.* Apud *Theocritum Idyll.* XVIII. 17. est *ἀνύεσθαι.*

XVIII.

Hephaestion ib. p. ead. *καὶ ὁ ποῦς συνῆψε τὴν λέξιν·*

Μελλίχροος δ' ἐφ' ἱμερτῷ κέχυται προσώπῳ.

Fragmentum ad *Sapphum* pertinere videtur, cum *Hephaestion* duo exempla praecedentia ex illa depromserit, et in nostro apponendo nullum alium auctorem nominaverit. Forsan ex uno eodemque carmine epithalamio cum proxime antecedenti fuit petitum, quocum etiam metricam rationem habet communem, tantum quod hic in prioris rhythmi fine caesura non sit observata, cum syllaba *τω* ad secundum rhythmum pertineat. — *Μελλίχροος* duplicato *λ* reposui metri causa. Vox est blandientium, qui alicujus colorem cutis flavum in pulchritudinis notam convertere volunt. Pari modo saepius etiam aliis rebus minus probatis honestiora imponuntur vocabula, maxime in amore, sed vel in adulatione omnino. cf. *Theocrit. Idyll.* X. 26. sqq. *Plat. de Republ.* V. c. 19. p. 195. ed. *Ast. Aristaenet. Epist.* I. 18. p. 88. *Horat. Sat.* I. 3. 38. sqq. *Cic. N. D.* I. c. 28. *Pauwius* p. 152. refinxit *μηλόχροος*, sed nolim quidquam mutare.

XIX.

Hephaestion pag. 70. *οἷόν ἐστι τὸ παρὰ Σαπφοῖ·*

Ὕψοι δὴ τὸ μέλαθρον,
Ὑμέναε,
Ἀέρρατε τέκτονες ἄνδρες,
Ὑμέναε,

Γάμβρος ἐπέρχεται ἶσος Ἄρηϊ,
Ἀνδρὸς μεγάλω πολλῷ μείζων.

Fragmentum etiam a *Demetrio Phalereo* (de *Elocut.* CXLVIII, p. 63. *Schneider*) citatur, qui quartum versum adjicit, quem *Hephaestion* omisit. Ex epithalamio quodam, et quidem ex genere τῶν μεσυμνίων, in quo acclamatio solennis: *Hymenaee!* non in fine strophes (ut e. g. ap. *Catull. Carm.* LXI. et LXII.) ponitur, sed inter singulos versus, ceterum cohaerentes, insertur (cf. *Hephaest.* l. l.), decerptum est. *Sappho* se sponsum, deducentem sponsam, e longinquo adspicere advenientem fingit, ideoque per jocum monet fabros lignarios, ut altius exstruant cubiculi cameram, quo sponsus, statura praegrandis, commode in eo versari possit. Sunt haec ludicra mere. Metrum se exhibet dactylicum. Quartum versum per se si spectes, anapaesticus videtur; si vero omnes eundem rhythmum obtinebant, erit ille dactylicus cum anacrusi, quod genus rarius sane. Totum videtur systema lyricum efformasse. — *Ὕψοι.* Apud *Ursinum* legere est ὕψι δὴ, idque *Portus* in unum verbum contraxit, idem esse putans ac ὑψοῦ, ὑψόσε, εἰς ὕψος. Edit. *Florent.* pro δὴ praestat δέ, minus bene. — *Μέλαθρον*, *camera cubiculi.* — *Ὑμέναε.* Ita emendavi vulgatam

lectionem ὑμήναον, quam concoquere non poteram, tam ob formam insolennem (η pro ε), quam ob casum quartum, qui scilicet non respiceret *deum Hymenaeum*, sed *cantum nuptialem*, et in quo sensus explendi causa subintelligendum foret *cano*, quod duriusculum sane et inusitatum. Praeterea etiam, si bene memini, in epithalamiis non clamabant: *Hymenaeum cano*, sed deum Hymenaeum ipsum compellabant voce. cf. *Aristoph. Av.* 1742. *Theocrit. Idyll.* XIX. 58. *Hephaestionis* porro verba luce clarius probant, vocandi casum hic esse reponendum. Ille loquitur de ἐφυμνίοις et μεσυμνίοις. Prioris generis exempla laudat Ἰήϊε παιὰν, et ὦ διθύραμβε. Jam vero quomodo ille in generis secundi exemplo praebendo accusandi casu subito uti poterat, nisi ephymnii et mesymnii, quae invocationem necessario postulant, naturam prorsus dirimere vellet? Horum nihil sane credibile. Apud *Demetrium* tota vox intercalaris deest. — Ἀείρατε inter legendum trinis syllabis pronuntiandum est, nisi malis rescribere αἴρατε, ad sensum idem. — Τέκτονες. Fabros lignarios ad manum esse fingit *Sappho*. — Ἐπέρχεται, nempe ex sponsae domo, unde hanc in pompa ad ipsius deducit domum. *Hephaestion* habet ἔρχεται, *Demetrius* εἰσέρχεται; inde ego effinxi ἐπέρχεται, metri causa. Possimus

etiam leviori negotio *ἐσέρχεται* rescribere, at tunc, puto, tota imago minus est suavis, quam si poetria fingitur e longinquo videre sponsum adventantem. — *Ἴσος Ἄρηϊ*, nempe corporis statura. Mars tanquam belli deus figura truci et magnitudine solito ampliore repraesentabatur. Posterius respexit *Nostra* in comparatione sponsi hyperbolica, quam prae nimiae laetitiae impulsu instituit, sed versu statim sequenti moderatur, et, ut cum *Demetrio* loquar, se ipsam quasi corrigit. — *Πολλῷ.* Adjectivum h. l. vice adverbii *πολὺ* positum. Ceterum totus hic versus quartus ab *Hephaestione* omissus.

Ex Athenaeo.

XX.

Athenaeus I. p. 21. C. Casaub. *Σαπφὼ περὶ Ἀνδρομέδας σκώπτει·*

Τίς δ' ἀγριῶτίς τοι θέλγει νόον, οὐκ ἐπιςαμένη τὰ βράκεα ἕλκεν ἐπὶ τῶν σφυρῶν;

Quaenam mulier rustica demulcet animum, nescia vestem detrahere ad imos usque talos? — Locus quoque citatur ab *Eustathio* ad *Od. X.* T. III. p. 770, 28. *Bas.* Continet exprobrationem Andromedae, vestem negli-

gentius colligentis. — *Τίς δ' ἀγριῶτίς τοι* κ. τ. λ. In edit. *Casaub.* prima exstat *τῆς δ' ἀγριώτατον θέλγει νόον.* — *Θέλγειν*, *suaviter commovere, amoris sensu implere.* — *Νόον*, *alterius* scilicet. — *Βράκος* per prosthesin Aeolicam pro *ῥάκος* (cf. *Gregor. Corinth.* p. 270.), proprie *vestis lacera* (a *ῥήσσω*), deinde vestis omnino, ut h. l. Rusticitatis signum putabatur, si quis vestem supra genua usque subduceret. cf. *Theophr. Charact.* c. IV. ibique *Casaub.*, *Athen.* l. l. Monet ideo *Nostra* Andromedam, peplum ad talos esse detrahendum mulieri, quae aliorum gratiam captare velit. Ea scilicet peplus erat longitudine, ut ad talos usque porrigeretur. — *Ἕλκεν.* *Eustath.* *ἕλκειν.* — Metrum fuit anapaesticum:

> *τίς δ'*
> *Ἀγροιῶτις θέλγει νόον, οὐκ ἐπιςαμένη τὰ βράκη ἕλκειν ἐπὶ τῶν σφυρῶν;*

Ἀγροιῶτις Aeolica forma. cf. *Fragm.* XLI.

XXI.

Athenaeus II. p. 39. A. *καὶ Σαπφὼ δὲ φησί·*

> *Ἀμβροσίας μὲν κρατὴρ ἐκέκρατο.*
> *Ἑρμᾶς δ' ἑλὼν ἔρπεν θεοῖς οἰνοχοήσων.*

Eundem locum affert X. p. 425., et ita quidem: *Ἀλκαῖος δὲ τὸν Ἑρμῆν εἰσάγει αὐτῶν (τῶν θεῶν) οἰνοχόον, ὡς καὶ Σαπφὼ, λέγουσα· κάδδ᾽ ἀμβροσίας μὲν κρατὴρ ἐκέκρατο. Ἑρμᾶς δ᾽ ἑλὼν ὄλπιν θεοῖς οἰνοχοῆσαι.* Verba etiam citantur ab *Eustathio* ad *Od. ι.* 359. T. III. p. 360, 43., non autem omnino justo ordine (vid. infr.). — *Κάδδ᾽* refer ad *ἐκέκρατο.* — *Ἀμβροσίας κρατὴρ* i. e. *κρατὴρ ἐν ᾧ ἦν ἡ ἀμβροσία.* Ambrosiam, quae vulgo deorum cibum denotat, h. l. de potu dici facile apparet. Sic igitur de vi hujus vocis disputandum. Proprie est adjectivum, nihil aliud quam *θεῖος*, ut varia *Homeri* docent loca, ubi occurrunt *πέδιλα ἀμβρόσια* (*Od. α.* 97.), *ἀμβρόσιος πέπλος* (*Il. ε.* 338.) et alia. Jam vero saepius vox pro substantivo ponitur per ellipsin, quam si explemus per *βρῶσις*, habemus cibum, quo dii vescuntur, si per *πόσις*, erit potus, *nectar* qui alias dicitur; (cf. *Heynii* excurs. ad *Il. α.* 529. T. IV. p. 190. sq.). Hac posteriori significatione, quae omnino rarior, verbum occurrit ap. *Homer. Od. ι.* 359. *ἀλλὰ τόδ᾽ ἀμβροσίας καὶ νέκταρός ἐστιν ἀποῤῥὼξ*, ad quem locum *Eustathius* haec: *Σαπφὼ δὲ, εἰποῦσα, ὡς ἀμβροσίας κρατὴρ ἐκέκρατο, εἰς πόσιν δηλαδὴ, διὸ καὶ ταυτίζουσα τῷ οἴνῳ αὐτὴν ἐπάγει· Ἑρμᾶς κ. τ. λ.* *Hesychius: νέκταρ, πόμα θεῖον, ἢ βρῶμα.* Etiam

Latinis *nectar* et *ambrosia* promiscue interdum usurpantur de potu. cf. *Apulej. Metam.* VI. p. 426. *Oudend.* — *Ἕρπεν* et *ὄλπιν.* Utrumque vitiosum. Rectius *Eustathius* habet *ἔρπιν*, quae est vox Aegyptiaca, vinum significans, cf. *Eustath.* l. c. *Lycophr. Cass.* v. 579. ibique *Tzetz.* — *Οἰνοχοήσων.* *Eustathius* *ᾠνοχόησεν.* Verba per *οι* incipientia augmentum interdum ponunt, interdum omittunt. Hoc loco Mercurius ideo pincernae ministerio fungitur, ut apud *Homerum* quondam etiam Vulcanus (*Il.* α. 584.) et Hebe (*Il.* γ. 2.). Vulgo id munus a poetis tribuitur Ganymedi. — Nostrum fragmentum *Athenaeus* alio etiam loco (V. p. 192. C.) respicit, dicens: *παρὰ τῇ καλῇ Σαπφοῖ ὁ Ἑρμῆς οἰνοχοεῖ τοῖς θεοῖς.* Nec non *Eustathius* ad *Il.* υ. p. 1280, 27. illud innuit. — Metrum videtur ionicum a majore:

Κάδδ' ἀμβροσίας μὲν κρατὴρ κέ-
κρατο·
Ἑρμᾶς δ' ἑλὼν ἔρπιν θεοῖς ᾠνοχό-
ησεν. —

XXII.

Athenaeus II. p. 54. F. *Σαπφώ·*

Χρύσειοι ἐρέβινθοι ἐπ' ἀϊόνων ἐφύ-
οντο.

Versus est dactylicus hexameter acatalecticus. — *Χρύσειος* h. l. de colore flavo dictum. — *Ἐρέβινθος, cicer,* cujus varius fuit usus ad cibum et medicamina. cf. *Geopon.* VII. 12. *Galen. de Alim. Facult.* I. c. 22. T. VI. p. 326. *Chart.*

XXIII.

Athenaeus II. p. 57. D. *Σαπφὼ δὲ αὐτὸ* (vocem *ὠὸν*) *τρισυλλάβως καλεῖ·*

Φασὶ δή ποτε Λήδαν ὤϊον εὑρεῖν.

Versus fuit Aeolicus. Citatur etiam ab *Eustathio* ad *Od. λ.* 297. T. III. p. 437, 44. et ab *auctore E. M.* voc. *ὤϊον,* qui tamen paululum aliter reddit. vid. infr. — *Ὤϊον.* Hujus verbi causa fragmentum a tribus scriptoribus modo laudatis servatum; voluere scilicet probare, illam formam *trisyllabam* occurrere pro vulgari *ὠόν. E. M.* ante *ὤϊον* insert: *ὑακίνθινον πεπυκαθμένον,* ubi *ὑακίνθινον* foret *ferrugineus,* quod hyacinthus habet colorem ferruginis. cf. *Virg. Georg.* IV. 183. *Heyn.* ad *Eclog.* II. 18. Fabula de Leda vario sane modo traditur. *Nostra* eum secuta est, quem proponunt *Scholia Callimachi* ad *Hymn. in Dian.* 232: *Ῥαμνοῦς δῆμος Ἀττικῆς, ἔνθα τῇ Νεμέσει ὁ Ζεὺς συνεκαθεύδησεν· ἥτις ἔτεκεν ὠὸν, ὅπερ εὑροῦσα ἡ Λήδα ἐθέρμανε, καὶ ἐξέβαλε τοὺς Διοσκούρους καὶ τὴν*

Ἑλένην. Hic adeo Leda est nutrix tantum Dioscurorum, cum alias eorum mater dicatur. Diversas de ea re fabulas tractavit *Staveren* ad *Hygin. Fab.* 77. p. 150. in *Auct. Mythogr. Lat.*, quem vide.

XXIV.

Athenaeus IX. p. 410. E. *Σαπφὼ δὲ ὅταν λέγει ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν μελῶν πρὸς τὴν Ἀφροδίτην·*

Χειρόμακτρα δὲ καγγόνων πορφυρᾶ,
καὶ ταῦτα μὲν ἀτιμάσεις· ἔπεμψα
πυφωκείας δῶρα τίμια,

καγγόνων κόσμον λέγει κεφαλῆς τὰ χειρόμακτρα.

Corruptissimo huic fragmento viri docti variis sane rationibus medicinam probatam afferre conati sunt. *Ursinus* depravatas lectiones servavit, attamen verba primus in metrum redegit, ita:

Χειρόμακτρα δὲ καγγόνων πορφυρᾶ,
Καὶ ταῦτα μὲν ἀτιμάσεις.
* *Ἔπεμψά πυ φωκείας δῶρα τίμια.*

In notis p. 293. etiam addit, quosdam legere *ἀπὸ φωκαίας.* — *Dalechampius* voluit *κροτάφων* vel *λαγόνων* pro *καγγόνων.* — *Casaubonus* ad *Athen.* p. 440. ed. 1ma, p. 699. ed. 2da., e suis haec affert: *χειρόμακτρα δὲ*

πλαγγόνων πορφυρῶ, καὶ ταῦτα μάλα τιμάεντά γ᾽ ἔπεμψα Σαπφῶς τεᾶς δῶρα τίμια, cujus vestigia pressit *Wolfius* p. 76. *Jacobsio* autem in animadversionibus ad *Anthol.* T. III. Part. I. p. 12. haec placent: *χειρόμακτρα πλαγγόνων πορφυρόβαπτα μὴ ἀτιμάσῃς, ἃ πέμψε παρθενίας δῶρα τίμια. Fiorillo* in *Animadv. ad Athen.* sic verba et metrum constituit:

Τὰ χειρόμακτρα τάδε καρηνῶν πορφυρᾶ,
Καὶ ταῦτα μήδ᾽ ἀτιμάσῃς,
Ἔπεμψα Σαπφὼ κεῖνα δῶρα τίμια.

Secundum versum et ita legi posse censet:

Καὶ ταῦτα μή μ᾽ ἀτιμάσῃς,

tertium hac ratione:

Ἔπεμψα, Παφία, κεῖσε δῶρα τιμια,

vel:

Ἔπεμψα τετυφωκυῖα δῶρα τίμια.

Schweighaeuserus vero ad *Athenaeum* T. V. p. 282. locum prorsus intactum reliquit. Ceterorum modo allatorum emendationes interim non tam longe distarent velim a librorum MSS. vestigiis; non omnes etiam sensum praebere facilem, vel rite ad metricas leges posse revocari censeo. Quid tamen frugi ex nostra sententia quisque attulerit, jam explicandis singulis videamus. — *Χειρόμακτρον* pro-

prie est *mantile*, manuum abstergendarum causa inserviens, i. q. μανδύλιον, (cf. *Athen.* IX. p. 410. B., qui laudat *Xenophontem* in *Cyropaed.* I. c. 5. §. 5. et *Suidam* ac *Hesychium* h. v.), deinde vero etiam *velamentum capitis*, tanquam pars mundi muliebris, ut nostro loco, quem *Athenaeus* adscripsit inter exempla, quibus evincere vellet, vocem habere hanc secundam quoque potestatem. Reliqua, quae citat, exempla sunt locus Hecataei in libro qui *Asia* inscribebatur (opus ipsum periit): γυναῖκες δὲ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχουσι χειρόμακτρα, et *Herodoti* II. c. 122. — Καγγόνων. *Casauboni* πλαγγόνων sola felix est emendatio inter reliquas ab eo propositas, qua haud mediocriter de toto loco meruit, cum illa totius sensus praestet basin. πλάγγονες sunt *puppae e cera fabricatae.* cf. *Hesych.* h. v., *Spanhem.* ad *Callim. Hymn. in Cerer.* 92. Harum velamenta capitum poetria dicit Veneri consecrasse. Mos videlicet erat, ut virgines, posteaquam ex ephebis excesserant, pueritiae suae ludicra Veneri consecrarent, et in templis ejus suspenderent. cf. *Callim. Epigr.* XXXI. ap. *Jacobs.* T. I. p. 219. *Pers. Sat.* II. 70. ibique *Schol. Alex. ab Alex.* V. 18. — Πορφυρᾶ. *Jacobsii* conjectura πορφυρόβαπτα nimis audax; omnino mutatione in hac voce non indigemus. — Καὶ ταῦτα cet.

Casaubonus monet, *Sapphum* una cum pupparum velamentis ipsas quoque puppas Veneri misisse. Velim scire, unde haec collegerit. Nostro quidem loco nihil de ea re scriptum est, quamvis alias concedam, virgines non indumenta tantum pupparum, sed puppas etiam ipsas cum indumentis Veneri consecrasse, ut e. g. docet *Persius* l. l. *καὶ ταῦτα* autem adhuc respicit *τὰ χειρόμακτρα*, et nexus illorum verborum dependebat a superioribus deperditis. *Sappho*, scilicet *antea* jam egerat de aliis ludicris puerilibus, quae Veneri dedicaverit; *nunc* inter ea etiam velamenta capitum pupparum commemorat. *καὶ* h. l. igitur habet vim *τοῦ* *etiam*, et *χειρόμακτρα* est accusativus absolutus: *quod attinet ad velamenta.* — *Μὲν ἀτιμάσεις.* Cl. *Jacobsius* acute vidit, legendum esse *μὴ ἀτιμάσῃς.* *μὲν* sensum pervertit. — *Ἔπεμψα*, scil. *in templum tuum, o Venus, tanquam ἀνάθημα.* — *Πυφωκείας.* In hoc haud dubie latent verba *Σαπφῶ κοῦνα*, quae recte rescripsit *Fiorillo.* Prima autem vox initio eo facilius poterat mutilari, cum ultima verbi praecedentis exeat in *ψα.* Post has emendationes fragmenti argumentum erit hoc: *Sappho Venerem adloquitur, petens ab illa, ne pupparum velamina capitis, quae tanquam ἀναθήματα ipsi miserit, aspernari velit.* —

Ad metrum quod attinet, videtur illud trochaicum trimetrum catalecticum fuisse:

Χειρόμακτρα πλαγγόνων δὲ πορφυρᾶ,
καὶ
Ταῦτα μὴ ἀτιμάσης· ἔπεμψα Σαπφὼ
Κεῖνα δῶρα τίμια. —

Δὲ in tertium demum abinitio locum reponere cogebar; hoc tamen durius si cui videatur, eum rescribere jubeo: *πλαγγόνων δὲ χειρόμακτρα.*

XXV.

Athenaeus XI. p. 460. D. *Σαπφὼ δ' ἐν τῷ δευτέρῳ ἔφη·*

Πολλὰ δ' ἀνάριθμα ποτήρια καλαίφις.

Disputat *Athenaeus* eo loco de vocabulo *ποτήρια. Καλαίφις. Schweighaeuserus* restituit *καλὰ Ἶφις.* In antiquo libro etiam legitur *καλλέφης* et *καλὴ φῆς. Casaubonus* p. 775. ed. 2da voluit totum ita concipere: *Σαπφὼ ἐν τῷ δευτέρῳ, πολλὰ δ' ἀν. π. καλὰ, ἔφη. Dalechampius,* qui *καλαίφης* pro nomine proprio habet, sententiam pendentem explet per *hausit.*

XXVI.

Athenaeus XI. p. 463. E. *καὶ κατὰ τὴν καλὴν οὖν Σαπφώ·*

Ἔλθε, Κύπρι, χρυσείαισιν ἐν κυλί-κεσσιν ἀβροῖς συμμεμιγμένον θα-λίαισι νέκταρ οἰνοχοοῦσα τούτοισι τοῖς ἑταίροις ἐμοῖς γε καὶ σοῖς.

Adsis Venus, aureis in poculis elegantibus temperatum nectar ut affundas his amicis meis pariter ac tuis.

Fragmentum sine dubio pertinebat ad carmen aliquod convivale, qualia veteres saepe decantarunt in epulis animi exhilarandi causa. cf. *Athen.* XI. p. 462. sq. et plura *Anacreontis* loca, e. g. *Od.* XXVI. 4. XXXIX. 15. sqq. XLI. 1. sqq. *Sappho* per jocum invocat Venerem, ut ipsa veniat, et vinum sibi atque amicis ipsius ministret. — *Ἐν κυλίκεσσιν* pro *εἰς κύλικας*, Graecis enim frequenter praepositiones, statum *in loco* (cum dandi casu) exprimentes, pro aliis, motum *in locum* (cum accusandi casu) denotantibus, usurpantur. cf. *Fragm.* LXXXVI. *Callim. Hymn. in Dian.* 114. et alias. — *Χρυσείαισιν.* Ex auro scilicet, argento, aere vel ligno composita sunt pocula, quorum ingens erat varietas. cf. *Athen.* XI. p. 466. sq. et ad eum locum *Casaub.*, *Pollux* VI. c. 16. §. 98. Notissima tamen eorum *δέπα, κύλικες, κέρατα.* — *Ἀβροῖς* non ad *κυλίκεσσιν*, quod suum adjectivum jam habet, sed ad *θαλίαισι* referendum. Cum vero *ἀ-*

βροῖς sit forma masculini, sive dicendum est, Aeoles dixisse *ὁ καὶ ἡ ἅβρος*, sive rescribendum est *ἅβραῖς*. — *Νέκταρ* de quovis potu dulci et suavi, ut h. l. de vino. cf. *Athen.* I. p. 32. B. *Nicand. Alexiph.* 44. *Tzetz. Chil.* X. 351. *νέκταρ συμμεμιγμένον θαλίαισι* pro: *vinum, quod bibimus inter flores, floribus, sertis redimiti.* In sensum *Anacreon od.* V. 1. *Τὸ ῥόδον τὸ τῶν Ἐρώτων Μίξωμεν Διονύσῳ.* — Metrum suspicor fuisse Sapphicum hendecasyllabum:

— — ἔλθε, Κύπρι,
Χρυσέαισιν ἐν κυλίκεσσιν ἅβροις
Συμμεμιγμένον θαλίαισι νέκταρ
Οἰνοχοεῦσα
Τοῖς ἑταίροις τοῖσιν ἐμοῖς γε καὶ σοῖς.

in quibus ultimus versus paululum sane mutandus erat. Alii interpretes verba distribuere in sex versus lyricos, vix tamen probabiles.

XXVII.

Athenaeus XI. p. 475. A. *μνημονεύει δὲ τῶν καρχησίων καὶ Σαπφώ·*

Κοινῇ δ' ἄρα πάντες καρχήσι' ἔχον
καὶ ἔλειβον· ἀράσαντο δὲ πάμπαν
ἔσλα τῷ γάμβρῳ.

In commune vero omnes habebant carchesia

et libabant, sponsoque fausta quaelibet precati sunt.

Describit *Sappho* libationem, eamque, ut ex ultimis verbis satis certo apparet, nuptialem, diis nuptialibus consecratam, a quibus convivae bona quaelibet sponso expetunt. In integro carmine nuptiarum quarundam solenne descriptum esse, facile suspicamur. — *Κοινῆ. Schweighaeuserus* ad *Athen.* T. VI. p. 126. emendavit κῆνοι, recte quidem. *Fiorillo* κεῖνοι. — Καρχήσιον antiquissimum vas potorium, forma oblonga, in medio aliquantulum compressum et ansa instructum, quae ad fundum usque pertinebat. cf. *Athen.* XI. p. 474. E. Libationibus carchesium inserviisse, ex nostro, sicut ex *Virgilii Georg.* IV. 380. (ubi vid. *Voss.*) et *Aen.* V. 77. perspicimus loco. — Ἔσλα dictum puta pro ἐσθλά. cf. *Maittaire* de *Dial.* p. 143. B. *Reitz.* Temere autem vox in ἔσθλα est mutata ap. *Wolf.* p. 52. — Metrica ratio fuit anapaestica:

— κῆνοι δ' ἄρα πάντες
Καρχήσι' ἔχον καὶ ἔλειβον·
Ἀράσαντο δὲ πάμπαν ἔσλα
Τῷ γαμβρῷ —

XXVIII.

Athenaeus XIII. p. 564. D. καὶ Σαπφὼ δὲ

πρὸς τὸν ὑπερβαλλόντως θαυμαζόμενον τὴν μορφὴν, καὶ καλὸν εἶναι νομιζόμενον φησί·

Στᾶθι κἄντα, φίλος, καὶ τὰν ἐπ' ὄσ-
σοις ἀμπέτασον χάριν.

Consiste coram, amice, et oculorum gratiam expande.

Ἄντα i. q. *ἐναντίον.* — *Ἐπ' ὄσσοις* sc. *ἔσαν.* *Bentlejus* emendabat *ἐπ' ὄσσ'.* — *ἀμπέτασον* pro *aspiciendum praebe, monstra.* — Metrum est choriambicum cum basi:

Στᾶθι κἄντα, φίλος, καὶ τὰν ἐπ' ὄσσ' ἀμ-
πέτασον χάριν.

XXIX.

Athenaeus XIII. p. 571. D. *καλοῦσι γοῦν καὶ αἱ ἐλεύθεραι γυναῖκες ἔτι καὶ νῦν, καὶ αἱ παρθένοι τὰς συνήθεις καὶ φίλας, ἑταίρας, ὡς ἡ Σαπφώ·*

Τάδε νῦν ἑταίραις ταῖς ἐμαῖς τερπνὰ
καλῶς ἀείσω.

Haec nunc amicabus meis suavia pulchra canam.

Verba sunt finis prooemii alicujus, et transitum ad carmen ipsum efficiunt. Poetria indicat propositum, *nunc* (*νῦν*), prooemio finito, opus ipsum aggrediendi, et amicabus suavia canendi. — *Τάδε*, ea, quae antea com-

memoraverat, se carmine celebraturam. — *Ἑταίραις.* Hujus vocis causa *Athenaeus* fragmentum servavit, cum demonstrare vellet, illam sensu etiam honesto accipi. vid. supra. — *Τὰ τερπνὰ* vel conjungendum cum *ἑταίραις*, vel per se positum, ut *Sapphus* ipsius judicio ea sint suavia, quae canere vult. Rem forsan amatoriam tractare in mente habuit. — Jam ad metrum quod attinet, videtur illud iterum choriambicum fuisse:

— τάδε νῦν ἑταίραις
Ταῖσι ἐμαῖς τερπνὰ καλῶς ἀείσω.

XXX.

Athenaeus ib. p. ead. Statim hoc fragmentum apud Athen. sequitur antecedens, interpositis tantum verbis, *καὶ ἔτι·*

Λατὼ καὶ Νιόβα μάλα μὲν φίλαι ἦσαν
ἑταῖραι.

Lato et Niobe intima familiaritate junctae erant.

Versus est hexameter, atque ex Elegiis *Sapphus* depromtus videtur. — *Φίλαι ἑταῖραι.* De amicitia intima, quae inter has mulieres intercessit, nihil aliunde notum; e contrario satis constat de inimicitiis, quae inter utramque oriebantur, quod Niobe Latonam prae se aspernata erat ob multitudinem libe-

rorum, partu a se ipsa editorum. Forsan tamen ambas ante hanc rixam fuisse amicas ac sodales fingebatur.

XXXI.

Athenaeus XIII. p. 599. D. *καὶ τὴν Σαπφὼ δέ πρὸς αὐτὸν ταῦτά φησιν εἰπεῖν·*

Κείνων, ὦ χρυσόθρονε Μοῦσα,
εἴνασπες ὕμνον, ἐκ τῆς καλλιγύναικος
ἐσθλᾶς ὁ Τήϊος χώρας ὅσ' ἄειδε τερ-
πνῶς πρέσβυς ἀγλαός.

Secundum Chamaeleontem *Sappho* est auctor hujus fragmenti (cf. *Diatr.* p. XXV.), quod poetriae continet responsum ad *Anacreontis* carmen quoddam, pariter ap. *Athen.* l. l. obvium, ob quod auctori laudes fundit *Nostra.* — *Κείνων*, mutandum in *κεῖνον* vel *κῆνον*, metri quoque causa, ut postea apparebit. — *Εἴνασπες* nulla est vox Graeca: recte igitur viri docti restituerunt *ἔνισπες* ab Aeolico *ἐνίσπω* pro *ἐνέπω*. *Wolfius* edidit *εἴνεσπες*, quod et ipsum non est Graecum. Seduxit eum vitiosa MSS. lectio *εἴνσπες*, litteris *ι* et *ν* falso transpositis. — *Καλλιγύναικος*. Urbem adeo patriam *Anacreontis*, Teon, in Ionia sitam, pulchris mulieribus fuisse inclytam hoc loco addiscimus. — *Τήϊος* nonnulli in *Τηΐας* mutare praecipiunt; ego vulgatam lectionem ser-

vare malim, quippe doctiorem et ad sensum sane eandem; ut taceam, *χώρας* jam habere duo adjectiva, *καλλιγύναικος ἐσθλᾶς*. — *Ὅσ'* molestum est; repone ideo *ὅν*. — *Ἀγλαὸς* *Barnesius* bene cum *ἀγαυὸς* permutavit, non tantum sensus, sed metri quoque gratia, quod est pure Sapphicum:

Κῆνον, ὦ χρυσόθρονε Μοῖσ', ἔνισπες
Ὕμνον, ἐκ τᾶς καλλιγύναικος ἐσθλᾶς
Τήϊος χώρας ὃν ἄειδε τερπνῶς
Πρέσβυς ἀγαυός.

XXXII.

Athenaeus XV. p. 674. C. *ἐκάλεν δὲ καὶ οἷς περιεδέοντο τὸν τράχηλον ϛεφάνες, ὑποθυμιάδας, ὡς Ἀλκαῖος ἐν τέτοις·*

Ἀλλ' ἀνήτω μὲν περὶ ταῖς δέραισιν
Παρθέτω πλεκτὰς ὑποθυμιάδας
Τις —

καὶ Σαπφώ·

καὶ πολλαῖς ὑποθυμιάδες πλέκταις
ἄντια παλαιδέραι.

Sapphus fragmentum esse corruptum vides. *Casaubonus* corrigendum putabat: *καὶ πολλαί θ' ὑποθυμιάδες πλεκταὶ κ' ἄνθεα περιδέραια.* *Koenius* ad *Corinth.* p. 283. emendat: *καὶ πολλαῖς ὑποθυμιάδαις πλέκταις ἀνήτω ἀπαλαὶ*

δέραι. Mihi maxime probatur *Schweighaeuseri* (ad *Athen.* T. VIII. p. 71. sq.) emendatio, ad MSS. vestigia proxime accedens: *καὶ πολλαῖς ὑποθυμιάδαις πλέκταις ἄντι ἁπαλᾶς δέρας.* In his *πολλ. ὑποθ. πλεκτ.* sunt accusativi Aeolici pro forma vulgari *πολλὰς ὑποθυμιάδας πλεκτάς.* cf. *Appendic. ad Gregor. Corinth.* p. 309. §. 18. *Koen.* — Versus videntur logaoedici cum basi (vid. *Herm.* p. 152.) fuisse:

Καὶ πολλαῖς ὑποθυμιάδαις
Πλέκταις ἄντ᾽ ἁπαλᾶς δέρας [*μοι*
Παρθέτω τις].

Ἄντ᾽ metri causa apostropho efferendum erat. Habet eandem vim quam *Alcaei περί.* Per potiorem colli partem, anteriorem puta, poetria totum designavit; *ante* collum ponere adeo pro *circa* collum ponere. Similiter *Horat.* Carm. I. 7. 7. *fronti praeponere olivam.* Sententiam pendentem explere conatus sum.

XXXIII.

Athenaeus XV. p. 674. E. *Σαπφὼ δὲ ἁπλούστερον τὴν αἰτίαν ἀποδίδωσι τοῦ στεφανοῦσθαι ἡμᾶς, λέγουσα τάδε·*

σὺ δὲ στεφάνοις ὤδικα παρθέσθ᾽ ἐραταῖς φόβαισι, ὄρπακας ἀννήτω συνέρραις ἀπαλλαγείσῃ χρεσίν· εὐάνθεα

γὰρ πέλεται, καὶ χάρις τε μάκαιρα μᾶλλον προτέρηνα ςεφανώτοισι δαποςρέφονται.

Hoc quoque fragmentum corruptissimum. *Casauboni* de loco medendo sententia est haec: *σὺ δὲ ςεφάνυς Δωρίκα πάρθεό γ' ἐραταῖς φόβαισιν, ὅρπακας ἀνήτω δρέψαισ' ἀπαλαῖσι χερσίν. εὐάνθεα γὰρ πέλεται, κεχαρισμένα τε μάκαρσι μᾶλλον τά γ' ἱερεῖα· ἀςεφανώτυς δὲ ἀποςρέφονται*, in quibus restituendis se a *Cantero* et *Scaligero* adjutum esse profitetur vir doctissimus. *Fiorillo Observat.* ad *Athen.* p. 64. fragmentum divisit per octo versus anapaesticos, qui tamen immane quantum a MSS. vestigiis distant, quos ideo apponere superfluum duco. Casauboniana, sensum si species, in universum cuivis facile probentur. Videamus tamen de singulis. *Δωρίκα* eam ob causam mihi non placet, quod apud *Herodotum* (II. c. 135.) et *Athenaeum* (XIII. p. 596. B.) legitur, Doricam (quam *Herodotus* nominat Rhodopen, a roseo, puto, vultu) a *Sapphone* carminibus esse proscissam, cum erga eam mulierem, de qua hoc fragmento agitur, animo benevolo *Nostra* fuisse videatur. Quid igitur, si pro *ὤδικα* refingamus *Δίρκα*? — *Πάρθεό γ'*. *Schweighaeuserus* *πάρθεσο.* Ego malim *πάρθεσσ'*. — *Ἀνήτω.* Anethum

putatur esse nostrum *Dille.* Eo flore coronas esse nexas, multa veterum probant loca. cf. *Theocr. Idyll.* VII. 63. ibique *Schol. Polluc.* VI. c. 19. §. 107. *Mosch. Idyll.* III. 101. *Alcaeum* ap. *Athen.* XV. p. 674. D. (vid. *Fragm.* praecedens.) — *Δρέψαις'*. Haec *Casauboni* emendatio superflua, nam depravatum *συνέῤῥαις* cum *Schweighaeusero* ad *Athen.* T. VIII. p. 74. tantum per apostrophum efferendum *συνέῤῥαις'*, et ita sensus perspicuus. Verbum proficiscitur ab Aeolico *συνέῤῥω* pro vulgari *συνείρω*, *connecto*, prorsus ut supr. *Od.* I. 27. *ἱμέῤῥω* loco *ἱμείρω*, et ut alias *φθέῤῥω*, *ἐγέῤῥω*, *πέῤῥοχος*, pro *φθείρω*, *ἐγείρω*, *περίοχος*. Jam porro quod in participio erat efferendum: *συνέῤῥασα*, juxta eandem dialectum mutatum in *συνέῤῥαισα*. — *Κεχαρισμένα* cet. In manuscripta lectione nihil sani. Emendationis interim ansam praeferunt ipsius *Athenaei* verba subsequentia: *ὡς εὐανθέστερον γὰρ καὶ κεχαρισμένον μᾶλλον τοῖς θεοῖς παραγγέλλει, στεφανοῦσθαι τοὺς θύοντας.* — *Ἀποστρέφονται.* *Koenius* ad *Gregor.* p. 275. retinere voluit *ἀπυστρέφονται*, Aeolicum esse dicens pro *ἀποστρέφονται*. De veterum more in sacrificiis capiti corollarum imponendarum, quibus laetitiam exprimerent, satis constat. cf. *Aelian. Var. Hist.* III. 3. ibique *Scheffer.* Fragmentum post varia tentata in metrum cer-

tum redigere frustra conatus sum, quamquam anapaesticum sub eo latere posset. Verba ex meis rationibus saltem emendatiora erunt haec:

Σὺ δὲ ϛεφάνϐς, Δίρκα, πάρθεσσ᾽ ἐραταῖς φόβαισι, ὅρπακας ἀνήτω συνέῤῥαισ᾽ ἁπαλαῖσι χερσίν. Εὐάνθεα γὰρ πέλεται, κεχαρισμένα τε μάκαρσι μᾶλλον τά γ᾽ ἱερεῖ· ἀϛεφανώτϐς δὲ ἀποϛρέφονται.

ut argumentum totius ita sit comparatum: *Sappho* Dircen, puellam speciosam, sacrificantem adloquitur, eique suadet, ut inter sacrificandum coronam capiti imponat.

XXXIV.

Athenaeus XV. p. 687. A. *καί τοι Σαπφὼ γυνὴ μὲν πρὸς ἀλήθειαν ȣ̃σα καὶ ποιήτρια, ὅμως ᾐδέσθη τὸ καλὸν τῆς ἁβρότητος ἀφελεῖν, λέγϐσα ὧδε·*

Ἐγὼ δὲ φίλημμι ἁβροσύναν, καί μοι τὸ λαμπρὸν ἔρος ἀελίω καὶ τὸ καλὸν λέλογχε.

φανερὸν ποιȣ̃σα πᾶσιν, ὡς ἡ τȣ̃ ζῆν ἐπιθυμία τὸ λαμπρὸν καὶ τὸ καλὸν εἶχεν αὐτῇ. — In his ultimis poetriae verba apposite illustrantur. Voluit *Sappho* dicere, se, vitae amore adductam, splendidum atque honestum cupe-

re; innuit ergo, eas tantum delicias sibi placere, a quibus decus non absit. — *Λέλογχε* h. l. active dictum: *quasi sorte mihi tribuit, proprium mihi reddidit*; verbis simplicioribus: *ego tota dedita sum* cet. -- *Ἔρος ἀελίω* pro *ἔρος τȣ̃ βίȣ.* cf. *Athen.* l. l. -- Metrum forsan fuit choriambicum cum basi:

— *ἐγὼ δὲ*
Φίλημμ᾽ ἀβροσύναν, καὶ — μοι τὸ
λαμπρὸν
Ἔρος ἀελίω καὶ τὸ καλὸν λέλογχε.

Ex Demetrio Phalereo.

XXXV.

Demetrius Phalereus de Elocut. §. CLXII. p. 68. Schneid. *τȣ̃ δὲ αὐτȣ̃ εἴδȣς καὶ τὰ τοιαῦτά ἐςιν· ὑγιέςερος κολοκύντης· καὶ, φαλακρώτερος εὐδίας· καὶ τὰ Σαπφικά·*

Πολὺ πακτίδος ἀδυμελεςέρα, χρυσῶ χρυσοτέρα.

Multo dulcius modulans, quam pectis, auro magis aurea. -- Poetria hyperbolice cujusdam foeminae suavem vocem ac pulchritudinem laudibus praedicat. *Πακτὶς* instrumentum quoddam musicum, cujus inventrix

Sappho ipsa a *Menaechmo* habetur. cf. *Diatr.* p. LIII. — *Ἀδυμελεστέρα.* Cum in hoc, auctore *Demetrio*, jam insit hyperbola, pectidis sonum inter suavissimos esse habitum apparet, ut poetria dicat, vocem ejus, de qua loquitur, foeminae, eam longe dulcissimam, quam pectis edat, dulcedine tamen superare. -- *Χρυσῶ χρυσοτέρα.* Haec verba *Demetrius* jam antea CXXVII. p. 54. citat. Continent hyperbolam satis apertam, cum auro ipso nihil magis aureum esse possit. *Χρυσοτέρα* si solvas, positum puta pro *pulchrior*, quae verbi significatio haud raro exstat in sequioris aevi scriptoribus. cf. *Nonnus Dionys.* XVI. 70. sq. *Ἔπρεπε γάρ, νικαίην ἐμὴν εὐώπιδα κούρην, Χρύσεον εἶδος ἔχουσαν, ἔχειν χρύσειον ἀκοίτην.* *Palaephat. de Incredib.* c. 19. Videmus tamen h. l., eum vocis usum jam *Sapphoni* innotuisse. cf. *Fragm.* XV. Quaesivere viri docti subjectum, quod poetriae in mente insederit, ac ita *Broukhusius* ad *Propert.* II. 34. Venerem innui reperisse sibi videtur, quae saepius audiat *χρυσέη.* Sed an Veneri unquam in arte canendi peritia sit attributa, hoc admodum in dubium voco. Majori jure aliqua ex *Sapphus* amicabus intelligitur. -- Metrum videtur Aeolicum fuisse:

Πολὺ πάκτιδος ἀδυμελεστέρα,
Χρυσῶ χρυσοτέρα.

XXXVI.

Demetrius CXL. p. 60. *αἱ δὲ ἀπὸ τῶν σχημάτων χάριτες δῆλαί εἰσι καὶ πλεῖςαι παρὰ Σαπφοῖ· οἷον ἐκ τῆς ἀναδιπλώσεώς πȣ νύμφη πρὸς τὴν παρθενίαν φησί·*

Παρθενία, παρθενία, ποῖ με λιποῖσα οἴχῃ; Οὐκέτι ἥξω πρός σε, οὐκέτι ἥξω.

Virginitas, virginitas, quo abis me relinquens? Non amplius ad te veniam, non amplius veniam. — Sponsa aliqua compellat virginitatem suam amissam, quaerens, quo locorum aufugerit? Haec deinde Sapphico more (cf. *Hermog. de formis Orat.* II. c. 4. p. 403. ed. *Genev.*) illi respondet, se nunquam ad eam redituram esse. — *Παρθενία.* Hujus, sicut versu sequenti vocum *ȣκέτι ἥξω*, repetitio effingit anadiplosin, in *Sapphus* carminibus saepius obviam, et *Demetrio* l. l. valde probatam. — *Πρός σε.* *Koenius* ad *Corinth.* p. 274. maluit *πρές σε*, vel *περσέ*, utpote *αἰολικώτερον.* — Metrum dispescendum in duos versus, quorum prior est choriambicus; secundus trochaicus:

Παρθενία, παρθενία, ποῖ με λιποῖσα
οἴχῃ;
Οὐκέτ' ἥξω πρός σε, οὐκέτ' ἥξω.

XXXVII.

Demetrius CXLI. p. 60. *Χαριεντίζεται δέ ποτε καὶ ἐξ ἀναφορᾶς· ὡς ἐπὶ τῦ ἑσπέρυ·*

Ἕσπερε, πάντα φέρεις, φέρεις οἶον,
φέρεις αἶγα, φέρεις μάτερι παῖδα.

Vesper, omnia fers; fers ovem, fers capram, fers matri filiam. — Quid, si ex epithalamio quodam poetriae depromserit hoc fragmentum? Possemus sane id conjectura assequi, quandoquidem Vesperi invocationem carminibus veterum nuptialibus insertam videmus quam plurimum; ad vesperam scilicet celebrabantur nuptiae. -- *Ἕσπερος*, stella Veneris vespere splendens, poetice ponitur pro vespertino tempore ipso. Jam porro tempus saepius in personam mutatur a poetis, quam id efficere dicunt, quod in tempore fit. -- *Φέρειν* h. l. habet potestatem *τῦ referre, reducem facere.* -- *Πάντα* i. e. eos homines et ea animalia, quae sub auroram exeunt e domubus, stabulis et cavernis, ac sole occidente eo revertuntur (cf. *Fragm.* LIII.). Ex animalium autem numero poetria in sequentibus unum adfert genus, animalia domestica, quae a puero domum reducuntur a pastu. In repetitione *τῦ φέρεις* iterum videmus figuram aliquam rhetoricam, *anaphoram* puta, ob quam *Demetrius* fragmentum exposuit, qui postea statim

ita: *ἐνταῦθα ἡ χάρις ἐςὶν ἐκ τῆς λέξεως τῆς φέρεις, ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀναφερομένης.* -- *Οἶον.* In editionibus exstat *οἶνον*, quod quamvis *Barthius* in *Advers.* p. 282. defendere conatus sit, at huic tamen loco non quadrare et omnem parallelismum diruere molestum in modum, suus quemque sensus statim docebit. Refinxi igitur *οἶον*, ulterius prosecutus vestigia *Fabii Benevolentii*, qui, uti *Ursinus* narrat, jam satis bene conjiciebat, vulgatam lectionem deserendam, et forsan esse legendum *ὄϊν*. — *Παῖς* h. l. est pastor gregis, quo munere pueros etiam esse functos, satis apparet ex *Theocrito*. — Fragmentum dispesco in tres versus, quorum prior dactylicus, ceteri sunt antispastici:

Ἕσπερε, πάντα φέρεις·
Φέρεις οἶον,
Φέρεις αἶγα,
Φέρεις μάτερι παῖδα.

XXXVIII.

Demetrius CXLVI. p. 62. *ἐκ δὲ παραβολῆς καὶ ἐπὶ τῦ ἐξέχοντος ἀνδρὸς ἡ Σαπφώ φησι·*

Πέῤῥοχος ὡς ὅτ᾽ ἀοιδὸς ὁ Λέσβιος ἀλλοδαποῖσιν.

Versus est dactylicus hexameter, ideoque vel ex elegia vel epigrammate repetitus vide-

tur. Continet parabolam, in qua *Sappho* poetam aliquem Lesbium ceteris peregrinis anteponit. Isto autem poeta, ut videtur, nullum alium, nisi *Alcaeum* innuit. — *Πέῤῥοχος* elisione *τῦ ι* et duplicatione *τῦ ρ* Aeolice dictum pro *περίοχος*, idque iterum loco *ὑπέροχος* seu *ὑπερέχων*. cf. *Voss. Institut. Orat.* T. II. p. 479. sq. *Victorius* pro nomine proprio accipere voluit vocem, et sententiam exinde ita constituit: *Perrochus, qui antistat ceteris sui generis hominibus, ut Lesbius poeta alienigenis externisque poetis antecellit.* In quo nihil vidit vir doctus. — *Ἀλλοδαπὸς*, *ἐξ ἄλλυ δαπέδου, peregrinus.*

Ex Maximo Tyrio.

XXXIX.

Maximus Tyrius Dissert. XXIV. p. 297. Markl. *τὸν Ἴωνα χαίρειν φησὶν Σωκράτης* (ap. *Platon. Ion.* T. IV. p. 178. *Bip.*),

Πολλά μοι τὰν Πολυάνακτος παῖδα χαίρειν,

Σαπφὼ λέγει. Haec verba et *Julianus* respicit *Epist.* LX. p. 448. *Spanh.* *Sappho* aliquam ex amicabus salvere jubet. *Maximus* scilicet *Tyrius* in ultima dissertationis XXIV. parte

Sapphus amores comparat cum Socraticis; et varia ideo utriusque dicta ad amorem spectantia juxta apponit, inter quae nostrum fragmentum primum tenet locum. — *Τὰν* recte legitur pro *τὸν*, quod olim exstabat, nam totus *Maximi* locus de *Sapphus amicabus* agit, hoc modo: *ὅ, τι περ Σωκράτει οἱ ἀντίτεχνοι, Πρόδικος, καὶ Γοργίας, καὶ Θρασύμαχος, καὶ Πρωταγόρας, τοῦτο τῇ Σαπφοῖ Γοργὼ καὶ Ἀνδρομέδα· νῦν μὲν ἐπιτιμᾷ ταύταις, νῦν δὲ ἐλέγχει, καὶ εἰρωνεύεται αὐτὰ ἐκεῖνα τὰ Σωκράτους· τὸν Ἴωνα κ. τ. λ.* — *Πολυάνακτος παῖδα.* Pro hoc *Davisius* legit *Πολυανακτίδα παῖδα*, quod in Cod. *Harlejano* exstare ait. Ego nihil muto. Istam autem Polyanactis filiam seu Gorgonem, seu Andromedam fuisse, ex *Demetrii* verbis laudatis apparere videtur. — *Χαίρειν* scil. *λέγω.* — Metrum est trochaicum trimetrum, tertia sede tribrachyn pro trochaeo exhibens.

XL.

Maximus Tyrius ibid. p. ead. *οὐ προσιέναι φησὶν ὁ Σωκράτης Ἀλκιβιάδῃ, ἐκ πολλοῦ ἐρῶν, πρὶν ἡγήσατο ἱκανὸν εἶναι πρὸς λόγους·*

> *Σμικρά μοι πάϊς ἔτι φαίνεο καὶ χαρίεσσα,*

Σαπφὼ λέγει. — Fragmentum etiam adfert *Plutarchus Amator.* T. XII. p. 8., ita: *τὴν*

ὔπω γάμων ἔχυσαν ὥραν ἡ Σαπφὼ προσαγορεύυσά φησιν, ὅτι

Σμικρά μοι παῖ ἔμμεναι φαίνεαι κἄχαρις.

nec non *Pindari Scholiastes* ad *Pyth.* II. 75. T. II. p. 513. *Heyn.*, ita: *χαρίζεσθαι κυρίως τὸ συνυσιάζειν λέγεται, ὥσπερ Θεόπομπος ἐν Μήδῳ εἰσάγει τὸν Λυκάβηττον λέγοντα· παρ᾽ ἐμοὶ τὰ λίαν μειράκια χαρίζεται τοῖς ἡλικιώταις. Καὶ Σαπφώ·*

Μικρά μοι πάϊς ἔμμεναι λιθόχαρις.

Nullus horum in poetriae verbis tradendis sibi consentit, et nullus ea ita tradidit, ut sensum probabilem reddant. Delegi ergo verisimillima quaeque, et *Sapphum* huncce fere in modum scribere potuisse credam:

Σμικρά μοι πάϊς ἔμμεν᾽ ἔτι
Φαίνῃ, κὐ χαρίεσσα. —

metro scilicet Aeolicum se praebente. Sed videamus jam de singulis. Nominativus *πάϊς* h. l. habet vim vocativi, ut saepius. — *Ἔτι.* Haec vox, quam *Maximus* solus perhibet, omitti omnino nequit. Quod ut intelligatur, trium scriptorum laudatorum verba tantummodo, quae ante *Sapphus* fragmentum afferunt, perspiciamus, in quibus voces *πρὶν, ὔπω, μήπω* reperiuntur, quae conditionaliter

et comparative sunt dictae, ac in *Sapphus* ideo poematio tale quoddam verbum evincunt exstitisse, quod puellam, de qua agitur, *non-dum* esse adultam, eique *tunc demum* posse gratificari amatores, si ad pubertatem venisset, exprimeret. Istud autem verbum est ipsum hoc ἔτι, in *Maximo* obvium. — *Kὀ χαρίεσσα. Maximi* καὶ χαρίεσσα laborare apparet, cum sensus contrarium prorsus postulet. *Scholiastae* λιθόχαρις ne vox quidem est Graeca. De potestate τοῦ χαρίεσσα vid. *Pind. Schol.* loc. supr. allat. Conferatur quoque *Timaeus Lex. Platon.* s. v. χαρίζεσθαι, ibique *Ruhnken.* p. 274. ed. 2dae. Omnino autem de notione vocabuli χαρίζεσθαι multus est *Plato Sympos.* c. 9. §. 7. sqq. *Wolf.* Opponitur ἀχαριστεῖν vel ἀναίνεσθαι. cf. *Harpocrat.* hh. vv. ibique *Maussac. Lennep.* ad *Phalar. Epist.* p. 13. Erit adeo πάϊς οὐκέτι (nam ἔτι utique repetendum ἀπὸ κοινοῦ) χαρίεσσα *puella cui per aetatem nondum in amore gratificari licet, quae viro nondum est matura.* Neque tamen aspernandum *Plutarchi* κᾄχαρις, quod metro adeo convenit, ut difficile sit dictu, an *Sappho* κᾄχαρις aut κοὐ χαρίεσσα scripserit. Prius *Ruhnkenius* l. l. praefert.

XLI.

Maximus Tyrius ib. p. ead. κωμῳδεῖ (sc.

Σωκράτης) σχῆμά πυ καὶ κατάκλισιν σοφιςῦ· καὶ αὐτή (Σαπφώ)·

Τίς δὲ ἀγριῶτιν ἐπεμμένα ςολήν —
Quaenam rustica tunica induta —. Ἀγριῶτιν est vitiosa scriptura, pro qua reponendum ἀγροιῶτιν. Ἀγροιῶτις scil. vox Aeolica, loco solennioris ἀγρότις. cf. *Stephan. Thesaur. L. G.* T. I. p. 46. Hic notionem habet in pejus, ac irrisionis causa in ea latet, ut ex *Maximi* verbis videmus. — Ἐπεμμένα Aeol. pro ἐπιειμένη, ab ἐπιέννυμι. *Casaubonus* (ad *Athen.* I. c. 18. p. 33.) haec non videns, frustra mavult vulgatam formam, vel ἐπαμμένα Dor. pro ἐφημμένη reponere jubet. Similem sententiam *Nostra* jam exposuerat *Fragm.* XX. Si τίς est in interrogatione, verbum quod periit fortasse fuisse possit θέλγει θύμον, ἁνδάνει aut ejusmodi. In sensum cf. et *Horat. Serm.* I. 3. 30. sq. — Jam ad metrum quod attinet, versus videtur asynartetus, dactylico et iambico compositus:

Τίς δ' ἀγροιῶτιν ἐπεμμένα ςολήν —

XLII.

Maximus Tyrius ib. p. ead. τὸν Ἔρωτά φησιν ἡ Διοτίμα τῷ Σωκράτει (ap. *Platon. Sympos.* c. XXIII. 6.), ὐ παῖδα, ἀλλὰ ἀκόλυθον τῆς Ἀφροδίτης καὶ θεράποντα εἶναι· λέγει πυ καὶ Σαπφοῖ ἡ Ἀφροδίτη ἐν ᾄσματι·

Σύ τε καλὸς θεράπων Ἔρως.

Venus ideo hic Amorem non filium, sed ipsius vocat ministrum. Varie sane hujus dei traditur genealogia, cf. *Fragm.* LXXXXIX., cujus rei fuit causa, quod notio ejus apud antiquos tam diversis modis constituebatur. — Metrum vestigia Aeolici prodit.

XLIII.

Maximus Tyrius ib. p. ead. *ἐκβακχεύεται* (sc. *Σωκράτης*) *ἐπὶ Φαίδρῳ ὑπὸ τȣ͂ ἔρωτος· τῇ δὲ* (*Σαπφοῖ*)

Ὁ ἔρως ἐτίναξε τὰς φρένας, ὡς ἄνεμος κατ᾽ ὄρος δρυσὶν ἐμπεσών.

Auctor hoc loco nonnulla de *Sapphone* narrat, sed ipsius poetriae verbis. Inde ortum istud *τῇ*, a *Maximi* sententia profectum, quod, si *Sapphus* verba integra quaerimus, mutandum sane erit in *μοὶ* vel *ἐμοί.* Particula *δὲ* *Maximo* opus erat oppositionis ergo, sed in *Sapphus* etiam carmine exstitisse potest. — *Τινάσσειν φρένας* de insania amatoria dictum, ut antea *Fragm.* V. *δονεῖν.* — *Ὡς ἄνεμος κ. τ. λ.* Debebat dicere: *ὡς ἄνεμος τινάσσει κατ᾽ ὄρος τὰς δρύας, αἷς ἐμπίπτει.* *Δρῦν* non tantum significare quercum, sed quamcunque omnino arborem, a viris doctis jam monitum. cf. e. g. *Spanh.* ad *Callim.*

Hymn. in Del. v. 83. — Fragmentum distribuo per duos versus, quorum prior dactylici cujusdam longioris exitus, secundus vero dactylicus pentameter acatalecticus est:

— *μοὶ δ' ὁ ἔρως ἐτίναξε*
Τὰς φρένας, ὡς ἄνεμος κατ' ὄρος δρυσὶν ἐμπεσών.

Possit sane et anapaesticum extorqueri metrum, si *τὰς* ad priorem referatur versum.

XLIV.

Maximus Tyrius ib. p. ead. *ἀνθάπτεται* (ὁ *Σωκράτης*) *τῇ Ξανθίππῃ ὀδυρομένῃ, ὅτι ἀπέθνησκεν· ἡ δὲ* (*Σαπφὼ*) *τῇ θυγατρί·*

Οὐ γὰρ θέμις ἐν μȣσοπόλων οἰκίᾳ
θρῆνον εἶναι, ȣ̓κ ἄμμι πρέπει τάδε.

Nefas enim, in poetarum domo luctum esse; non hoc nobis dignum. — *Sappho* filiae suae, nescio quid lamentanti, succenset. *Maximi* verba: *ἡ δὲ τῇ θυγατρὶ*, interpres Latinus ita reddidit: *illa filiae suae scribit.* Falsissime. Ad *θυγατρὶ* potius *ἀπὸ κοινȣ͂* repetendum *ἀνθάπτεται*, ita ut Sappho *coram* alloquatur filiam, id quod et satis clare innuunt voces *ἐν μȣσοπόλων οἰκίᾳ* et *ἄμμι*. — *Μȣσοπόλοι* i. e, *οἳ πολέονται ἀμφὶ Μȣ́σας*, ideoque *famuli*

vel *cultores* Musarum. — *Οὐκ-πρέπει.* Ad rem ipsam illustrandam monuisse sufficiat, veteres credidisse, luctu ac tristitia profanari Apollinem atque Musas. — Versus sunt duo ionici a majore:

Οὐ γὰρ θέμις ἐν μȣσοπόλων οἰκίᾳ
Θρῆνον εἶναι, ȣ̓κ ἄμμι πρέπει τάδ'. —

quorum secundus non integer exstat.

Ex Aristotele.

XLV.

Aristotel. Art. Rhetor. I. c. 9. §. 20. T. IV. p. 101. ed. Buhle: *ὥσπερ καὶ Σαπφὼ πεποίηκεν, εἰπόντος τȣ̃ Ἀλκαίου·*

Θέλω τι τ' εἰπῆν, ἀλλά με κωλύει
Αἰδώς.
Σ. *Αἴδ ἶχέ σ' ἐσθλῶν ἵμερον ἢ καλῶν,*
καὶ μήτ' εἶπην γλῶσσ' ἐκύκα κακὸν,
αἰδώς κέν σε ȣ̓κ εἶχεν ὄμματα, ἀλλ'
ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω.

Nonnullis levioribus emendationibus adhibitis, in his verbis metrum pure Alcaicum latet. Sic scilicet sunt scribenda:

Αἰ δ' ἶχε σ' ἐσθλῶν ἵμερος ἢ καλῶν,
Καὶ μή τι εἰπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακὸν,
Αἰδώς τε νῦν σ' ὀυκ εἶχεν ὄμματ',
'Αλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω.

In hoc igitur poematio, ut ex *Aristotelis* verbis apparet, *Sappho* carpit *Alcaeum*, qui obscoena aliqua coram illa eloqui voluerat, sed pudore adductus sese represserat. *Αἰ δ'* cet. Prior versus est in protasi, secundus et tertius continet apodosin. — *Δὲ* h. l. est indignantis atque opponentis. — *Ἶκε σ' ἐσθλῶν.* Vulgata lectio exinde orta, quia amanuensium vitio litterae *ες*, quae bis deinceps sequebantur, ter erant adscriptae. Ut nos dedimus, jam *Victorius* in Cod. antiq. invenerat. — *Τὰ ἐσθλὰ καὶ καλὰ* Graecis sunt honesta ac decora quaelibet, complexus omnium virtutum. cf. *Pind. Ol.* I. 67. II. 112. vide et *Nostram Fragm.* L. Exinde vir probus alias audit *καλοκἀγαθός.* — *Τὲ νῦν σ'* refinxi ex *κεν σε.* Ita *καὶ* — *τὲ* egregie sibi invicem respondent. In Cod. autem *Victorii* jam exstabat *νυ*, quod si metri gratia tantum in *νῦν* mutamus, omnia erunt expedita. — *Σὲ - ὄμματα* i. e. *σὲ κατὰ ὄμματα*, et hoc pro *τὰ σὰ ὄμματα.* Similem loquendi formam vid. supr. *Od.* I. 4. — *Τὸ δίκαιον*, *justum* et *probum*, cujus neminem pudeat.

XLVI.

Aristoteles ib. II. c. 23. §. 12. T. IV. p. 278. *ἢ ὥσπερ Σαπφὼ, ὅτι*

Τὸ ἀποθνήσκειν κακόν· οἱ θεοὶ γὰρ
οὕτω κεκρίνασιν· ἀπέθνησκον γὰρ ἄν.

Mori est malum; dii enim ita judicarunt; alioqui mori voluissent. — Fragmentum *Aristoteles* servavit tanquam exemplum enthymematis, ejus quidem generis, quod rem probat auctoritate alterius, cujus adversus sententiam judicare non decet, ut adversus deos. — *Τὸ ἀποθν. κακ.* Haec est propositio generalis, cujus tum veritas in sequentibus probatur. — *Ἀπέθνησκον γὰρ ἄν*, scil. *εἰ μὴ τὸ ἀποθνήσκειν εἴη κακόν τι*, dii secundum maximam ipsorum sapientiam elegissent sane mori, non *ἀθανασίαν* sibi reservassent, si mors esset jucundum quid. — De metro nihil affirmo.

Ex Hermogene.

XLVII.

Hermogenes de formis orat. II. c. 4. p. 400. *ὥσπερ ἡ Σαπφώ·*

Ἀμφὶ δ' ὕδωρ ψυχρὸν κελαδεῖ διὰ
ὕσδων μαλίνων.

Circum autem aqua frigida susurrum edidit per ramos pomorum. — Versus hic dactylicus hexameter ex loci cujusdam amoeni descriptione est repetitus. *ὔσδος* Aeol. pro *ὄσδος*, idque iterum pro *ὄζος*. Sic *ὄνυμα* loco *ὄνομα* ap. *Pind. Ol.* VI. 93. Regio, de qua poetria agit, ita fuit sita, ut inde fluvii vicini strepitus per arbores audiri posset. Ad sensum cf. *Propert.* IV. 4. 3. *Lucus erat felix hederoso conitus antro, Multaque nativis obstrepit arbor aquis.*

XLVIII.

Hermogenes ib. p. ead. *καὶ* (sc. *ὥσπερ ἡ Σαπφὼ ἀλλοθί φησι*)·

Αἰθυσσομένων δὲ φύλλων κῶμα καταῤῥεῖ.

Concussis vero foliis somnus prorepit. — Statim hoc fragmentum citatur post antecedens, quocum etiam conjungunt *Barthius* (*Adversar.* p. 2552.) et *I. Douza* (ap. *Tollium* ad *Longin.* p. 77.). Sed quo minus in hoc acquiescas, obstat copula *καὶ*, inter ambo fragmenta in melioribus *Hermogenis* libris obvia, quae ita explenda, ut nos antea fecimus. Argumentum sane utriusque fragmenti unum idemque. — *Κῶμα καταῤῥεῖ.* Solennis est poetarum mos, ut quemlibet lenem strepi-

tum, qualis est citharae, fistulae, apum, aquae, foliorum, homines ad somnum invitare dicant. cf. *Pind. Pyth.* I. 18. sqq. *Virg. Ecl.* I. 54. sqq. *Horat. Carm.* III. 1. 20. *Epod.* 2. 27. sq. *Statius Theb.* I. 585. De etymologia vocis *κῶμα* vid. *Pindari Schol.* ad *Pyth.* IV. 407. — Metrum exitus systematis Sapphici esse videtur:

— — *αἰθυσσομένων δὲ φύλλων*
Κῶμα καταῤῥεῖ.

XLIX.

Hermogenes ib. II. c. 4. p. 403. *καὶ ὅταν τὴν λύραν ἐρωτᾷ ἡ Σαπφὼ, καὶ ὅταν αὕτη ἀποκρίνεται, οἷον·*

Ἄγε χέλυ δῖά μοι λέγε φωνάεσσα δὲ γίνεο.

Age, testudo divina, dic mihi et vocalis fias. — Verba etiam affert *Eustathius* ad *Il. α.* 1. p. 8., paululum tamen aliter:

Ἄγε μοι χέλυ δῖα φωνάεσσα γένοιο.

Fragmentum ad carminis cujusdam pertinet initium; poetae quippe saepius carmina incipiunt per lyrae invocationem. cf. *Pind. Pyth.* I. 1. *χρυσέα φόρμιγξ, Ἀπόλλωνος καὶ ἰοπλοκάμων Σύνδικον Μοισᾶν κτέανον* cet. *Anacr. Carm.* I., quod conscriptum est *εἰς Λύραν,*

Horat. Carm. III. II. 3. Quo minus fragmentum nostrum ipsum carminis esse principium putem, me impedit metrum, cujus rationem sic non perspicio. vid. infr. — Χέλυς propr. testudo marina, cujus supra testam Mercurius primus chordas extendisse, ac ita lyram reperisse fertur. Exinde testudo et lyra promiscue adhibentur, interdum tamen ambo distinguuntur inter sese, ut ap. *Bion. Idyll.* III. 7. Δῖος *a Jove proficiscens,* tunc omnino *divinus*, i. q. θεῖος. Lyra hoc epitheto ornata, vel quia deus eam primus invenit, vel ob celebritatem et sonorum dulcedinem. — Λέγειν, ut alias *λαλεῖν, εἰπεῖν* et *ἐννέπειν*, pro *canere,* quandoquidem antiquissima canendi ratio erat simplicissima adeoque quasi *εἰπεῖν τι.* cf. *Homer. Odyss. α.* I. *Anacr. Carm.* I. I. XVI. I. LIII. 29. et alibi. *Λόγοι* deinde sunt *carmina;* vid. *Pind. Ol.* I. 178. XI. 5. *Pyth.* V. 63. *Anacr. Fragm.* I. 33. p. 328. *Fisch.* Latini eodem modo usurpant *τὸ dicere.* cf. *Horat. Carm.* I. 32. 3. *Sat.* II. 3. 6. *Tibull. Eleg.* II. I. 54. ibique *Broukh.* Si Hermogenem sequaris, *Sappho* lyram ipsi quoque induxit respondentem; sed haec responsio aetatem non tulit. — Metricam rationem Aeolicam esse censeo:

ἄγε — χέλυ
Δῖα, μοὶ λέγε, φωνάεσσα δὲ γίνεο.

Inter *ἄγε* et *χέλυ* verbum aliquod excidisse, eo magis putem, quod *Eustathius* fragmentum aliter citat ac *Hermogenes*. Illud autem verbum fortasse erat *νῦν* vel *τοι*.

Ex Galeno.

L.

Galenus Protrept. c. 8. T. II. p. 8. Chart. *ἄμεινον ἔν ἐςιν ἐγνωκότας τὴν μὲν τῶν μειρακίων ὥραν τοῖς ἠρινοῖς ἄνθεσιν ἐοικυῖαν, ὀλιγοχρόνιόν τε τὴν τέρψιν ἔχϐσαν, ἐπαινεῖν τε καὶ τὴν Λεσβίαν λέγϐσαν·*

Ὁ μὲν γὰρ καλὸς ὅσον ἰδεῖν πέλεται,
ὁ δέ κ' ἀγαθὸς αὐτίκα καὶ καλὸς ἔςαι.

Nam qui pulcher est, is est, dum cernitur; bonus vero statim quoque pulcher erit. — Agitur de pulchritudine corporis atque animi. *πέλεται* scil. *καλός*. — *Ὅσον ἰδεῖν* i. e. *καθ' ὅσον ἰδεῖν ἐςι*, *adspectu*. In hoc priori membro *καλὸς* referendum ad speciosam formam externam, in altero de animi pulchritudine accipiendum. — *Αὐτίκα* optime redditur *eo ipso*. — Metrum videtur Aeolicum fuisse:

Ὁ μὲν γὰρ καλὸς ὅσσον ἰδεῖν πέλεται, ὁ δ' ἀ-
γαθὸς αὐτίκα καὶ καλὸς ἔςαι. —

Ibi ὁ δ' reponendum fuit pro ὁ δέ κ', quod scioli putaverim, qui invenerat ὁ δὲ ἀγαθὸς et hiatum tollere voluit.

Ex Dionysio Halicarnassensi.

LI.

Dionysius de Struct. Verb. T. V. p. 201. Reisk. τοιγάρτοι Σαπφικόν τι ἐπιθαλάμιον τουτί·

Οὐ γὰρ ἑτέρα ἦν παῖς, ὦ γαμβρὲ,
τοιαύτα.

Non enim alia fuit puella, o sponse, talis. — Ex epithalamio versum esse depromtum, ipsum *Dionysium* auctorem habemus. Sponsa sponso commendatur. Simile quid vid. *Fragm.* XVII. — *Γὰρ* respicit aliquid, quod in antecedentibus in sponsae gratiam a juvenum choro dictum erat sponso. Posset fuisse: *bene fecisti, et felix es praedicandus, qui hancce potissimum virginem duxisti, nam illi parem non reperisses.* — *τοιαύτα* i. e. *tam egregia.* — Metrum erit ionicum a majore post verborum levem immutationem factam:

Οὐ γάρ ῥ' ἑτέρα ἦν πάϊς, ὦ γαμβρέ, τοιαύτα.

'Ρ' est *sane, utique.* Poterat haec particula facile excidere ob praecedens ρ. Quid tamen, si rescribas: *Οὐ γ' ἆ ῥ' ἑτέρα?*

Ex Ammonio.

LII.

Ammonius de Affin. Vocab. Different. s. v. *ἄρτι* p. 23. Valcken. *Ἄρτι καὶ ἀρτίως διαφέρει. Ἄρτι μὲν γὰρ ἐςι χρονικὸν ἐπίῤῥημα, τὸ δὲ ἀρτίως ἐπὶ τȣ̃ ἀπηρτισμένȣ ἔργȣ, τελείως. ὥςε ἁμαρτάνει Σαπφὼ λέγȣσα·*

Ἀρτίως μὲν ἁ χρυσοπέδιλος αὔως —

Nunc quidem aurora aureos calceos habens. — Carpit h. l. *Ammonius Sapphum*, cui non *ἀρτίως*, sed *ἄρτι* dicendum fuisse putat. Poetria vero omnino defendenda. Quamvis enim *ἀρτίως* saepius significet *perfecte*, haud minus tamen frequenter habet potestatem *τȣ̃ ἄρτι*. cf. *Hesych.* h. v. vel *Henr. Stephan. Thesaur.* T. I. p. 550. A. — *Χρυσοπέδιλος*, *aurea sandalia habens*, qualia dii atque deae semper gestare solent, e. g. Minerva ap. *Homer. Od. α.* 96. et Mercurius *Od. ε.* 43. Aurora autem eo magis poterat audire *χρυσοπέδιλος*, quod colore est aureo. — *Αὔως* Aeolica vox pro solenni *ἠώς*. Doribus nempe audit *ἅως*, ex quo Aeoles, *τὸ υ* inserentes, faciunt *αὔως*. cf. *Eustath.* ad *Il. λ.* p. 757, 4. *Maittaire de Dial.* p. 156. Probe hanc vocem huic loco restituerunt *Scaliger*

et *Vulcanius*, cum alias corrupte legeretur *αὖ*, et tunc statim *Ammonii* verba *ὡς ἀντὶ* cet. sequerentur. Vides, quam facile ultima in *αὔως* excidere potuerit. Ceterum sententia pendet. Quod desideratur verbum, forsan fuit *ἔφαινε*. Metrum iterum se praebet ionicum a majore.

Ex Scholiaste Euripidis.

LIII.

Scholiastes Euripidis ad Orest. v. 1260. *καὶ ἡ Σαπφὼ δὲ οὕτω τὸν ἕσπερον ἀςέρα εἶπε, τρόπον τινὰ ἐτυμολογοῦσα τὸ ὄνομα·*

Ἕσπερε πάντα φέρων, ὅσα φαινόλις
ἐσκέδασ᾽ αὔως.

Vesper omnia ferens, quaecunque lucifera sparsit aurora. — Versus hic dactylicus hexameter aeque ac *Fragm.* XXXVII. ad epithalamium pertinere videtur, eadem de causa, quam illic apposuimus. Nec obstat metrum hexametrum, cujus quippe usus in epithalamiis neutiquam desideratur. — *Ὅσα* cet. Haec ulterius explicant, quid poetria sub *πάντα φέρων* proprie intelligi velit. Inde lumen etiam accenditur simili sententiae, fragmento XXXVII. obviae. — *Φαινόλις, λαμπρὰ, φωσφόρος. Hesychius.* Apud *auctorem*

Etym. M., qui fragmentum nostrum quoque citat v. ἕσπερος, legitur φαινόλης, metro repugnante. Nulla interim causa sufficiens adest, cur reponamus φαινόπις, ut *Wolfius* ad *Sapph.* p. 233. proponit, φαινόλις enim satis probum verbum. Notio abstracta hic est in deam mutata, quae agens inducitur. Aurora scil. proprie pro matutino tempore.

Ex Scholiaste Theocriti.

LIV.

Scholiastes Theocriti ad Idyll. XI. 39. γλυκύμαλον, ἤγουν τὸ γλυκὺ μῆλον· μῆλον δέ ἐστιν ὡς μελίλωτον· ἔστι γὰρ μήλου γένος. Σαπφώ·

Γλυκύμαλον ἐρεύγεται ὡς ἄκρῳ ἐπ' ὄσδῳ.

Commendat poetria alicujus pulchras genas. Γλυκύμαλον pomorum quaedam species dulci sapore, nos: *Süssapfel.* Est deinde vox blandientium, inter amantes praecipue usitata. cf. *Theocr. Idyll.* XI. 39. — Ἐρεύγεται. Id verbum hoc quidem loco absque sensu est. Rescribe adeo cum *Casaubono Lection. Theocr.* c. XI. ἐρεύθεται. — Ὄσδῳ bene *Ursinus* refinxit, cum in vulgatis vitiose exstaret οὔδῳ. γλυκύμαλον ἄκρῳ ἐπ' ὄσδῳ pro malo in suo

genere praestantissimo, nam summis in ramis speciosissimae et optimae notae fruges enasci solent. cf. *Theocr. Adoniaz.* v. 112. Ordo verborum est hic: *ἐρεύθεται* (scil. juvenis vel puella de qua agitur) *ὡς γλυκύμαλον ἐπ' ἄκρῳ ὄσδῳ.* In sententiam facit locus *Theocr. Idyll.* VII. 117. *ὦ μάλοισιν Ἔρωτες ἐρευθομένοισιν ὁμοῖοι.* — Metrum distribui per duos anapaesticos monometros hypercatalecticos:

Γλυκύμαλον ἐρεύθετ'
Ὡς ἄκρῳ ἐπ' ὄσδῳ.

LV.

Annotator Vimariensis ad argumentum in Theocriti Idyll. XXVIII. *γέγραπται δέ* (scil. Idyll. laudat.) *αἰολίδι διαλέκτῳ, παρὰ τὸ Σαπφικὸν ἑκκαιδεκασύλλαβον, τό·*

Ῥοδοπήχεες ἁγναὶ Χάριτες, Διὸς κόραι.

Lacertos roseos habentes castae Charites [*adeste*], *Jovis filiae.* — Vir quidam doctus ad *Theocriti* exemplar *Romanum,* in bibliotheca Ducali Vimariensi asservatum, varias notas manu adscripsit, in his etiam *Sapphus* locum. Ex ejus verbis antea appositis fragmentum nostrum initium carminis cujusdam, et quidem carminis, quod incipiebat prooemio, in quo Gratiae advocabantur, fuisse apparet. —

Ῥοδοπήχεες. Similes compositiones exstant in verbis *ῥοδοδάκτυλος* ac *ῥοδόχρυς.* cf. *Hesiod.* *Ἔργ.* 608. *Homer. Od. β.* 1. et saepius. vid. omnino *Anacr. Carm.* LIII. 20. sqq. Partem pulchritudinis, roseos lacertos, pro pulchritudine omnino positam puta, ut *καλλίκομοι Fragm.* VI. Poetarum nempe officium est, per species loquendi, easque lectoribus in genera resolvendas relinquendi. — *Διὸς κόραι.* Nimirum Eurynome, Oceani filia, eas peperit ex Jove. cf. *Hesiod. Theog.* 907. *Orpheus Hymn.* LIX. 3. — Metrum est choriambicum cum basi. Ceterum et *Eustathius* ad *Od. β.* 1. p. 73, 37. ad nostrum versum alludit.

Ex Pindari Scholiaste.

LVI.

Scholiastes Pindari ad Ol. II. 96. *καὶ Σαπφώ·*

Ὁ πλῦτος ἄνευ ἀρετῆς οὐκ ἀγαθὸς σύνοικος· ἡ δ᾽ ἐξ ἀμφοτέρων κρᾶσις εὐδαιμονίας ἔχει τὸ ἄκρον.

Divitiae sine virtute non sunt innoxius socius. Mistura autem ex utraque in se continet felicitatis apicem. — Hominem divitem, qui idem virtutem colat, omnium esse felicissimum, poetria praedicat. Locum *Scholia-*

stes recentior paulo aliter exhibet, hac scilicet ratione:

> *Πλȣ̃τος ἄνευ ἀρετῆς οὐκ ἀσινὴς πάροικος· ἡ δὲ κρᾶσις εὐδαιμονίας ἔχει τὸ ἄκρον.*

Ad *Pyth.* V. 1. quoque *Scholiastes* poetriae verba habet, sed mutila:

> *Ὁ πλȣ̃τος ἄνευ ἀρετᾶς οὐκ ἀσινὴς πάροικος.*

Σύνοικος. Ex nota prosopopoeia divitiae illius qui eas possidet comes vel socius esse dicuntur. Jam si homo est probus, comitem sese praebent *πολύφιλον*, *facilem*, *mitem* (cf. *Pind. Pyth.* V. 5.); at si est scelestus, *σίνοντα*, ipsi atque aliis noxium, quae notio nostro loco insidet. Divitiae scilicet homini improbo multas suppeditant occasiones, turpiter vivendi atque scelera committendi. Sententia saepius a veteribus repetita, ab ipso *Pindaro* et aliis, e. g. a *Callimacho Hymn. in Jov.* 95. sq. *Οὔτ᾽ ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίςαται ἄνδρας ἀέξειν, Οὔτ᾽ ἀρετὴ ἀφένοιο*, et *Antiphonte* ap *Stob. Floril.* CII. p. 559. *Gesn.* *ὁ θεὸς ὁ μὴ παντελῶς βȣ́λεται ἀγαθὰ διδόναι ἀνδρὶ, χρημάτων πλȣ̃τον παρασχὼν, τȣ̃ καλῶς φρονεῖν πένητα ποιήσας, τὸ ἕτερον ἀφελόμενος, ἀμφοτέρων ἀπεςέρησεν.* —

Ἀσινὴς omnino praetulerim *τῷ ἀγαθός*. — Metrum videtur ionicum a majori fuisse:

Ὁ πλȣ͂τος ἄνευ ἀρετᾶς
Οὐκ ἀσινὴς σύνοικος·
Ἡ δ' ἀμφοτέρων κρᾶσις
Εὐδαιμονίας ἔχει
Τ' ἄκρον. —

Σύνοικος primam longam habet vi digammatis: *σύνϝοικος*. Etiam in *εὐδαιμονίας* ultima longa est, nam substantiva in *ια* exeuntia ultimam producunt, cujus quidem rei jam supra *Od.* II. v. 6. in voce *καρδίαν* vidimus exemplum, cui adde *Eurip. Bacch.* 464. ubi habes *Λυδία.*

LVII.

Scholiastes Pindari ad Pyth. I. 10. *ἡ δὲ Σαπφὼ ἐπὶ τȣ͂ ἐναντίȣ ἐπὶ τῶν περιςερῶν·*

Ταῖσι ψυχρὸς μὲν ἐγένετο θυμὸς,
πὰρ δ' ἱεῖσι τὰ πτερά.

His languidus fiebat animus, et demittunt alas. — *Ταῖσι* scil. *περιςεραῖς*, nam de columbis esse sermonem *Scholiastae* evincunt verba. — *Ψυχρὸς* h. l. *languidus*, nempe prae somno. Quod adeo *Pindarus* de aquila in Jovis sceptro dormiente dicit, id *Nostra* contra de columbis praedicat. — *Πὰρ δ' ἱεῖσι* cet. Haec quoque avibus dormientibus

conveniunt. *Pindarus* de aquila: ὠκεῖαν πτέρυγ᾽ ἀμφοτέρωθεν χαλάξας. — Metrum, ni fallor, erat Aeolicum:

Ταῖσι ψυχρὸς μὲν γένετο
Θυμὸς, πὰρ δ᾽ ἱεῖσιν τὰ
Πτερά. —

In *γένετο* augmentum sustuli, nam quinque syllabas breves haud facile digeras.

LVIII.

Scholiastes Pindari ad Pyth. IV. 410. ὁ δὲ χρυσὸς ἄφθαρτος· καὶ ἡ Σαπφώ·

Ὅτι Διὸς παῖς ὁ χρυσὸς, κεῖνον ȣ̓ σὴς οὐδὲ κὶς δάπται, βροτέαν φρένα κράτιϛον φρενῶν.

Locus etiam affertur a *Proclo* ad *Hesiod.* Ἔργ. 439., qui *Plutarchum* (quem in *Hesiodum* commentarium scripsisse ex *Gellii* XX. cap. 8. loco discimus) poetriae verba inducit falso *Pindaro* tribuentem, eaque mutila perhibentem, hac ratione:

Κεῖνον οὐ σὴς, οὐ κὶς δάμναται.

Ὅτι non *Sapphus*, sed ipsius *Scholiastae* poetriam citantis putaverim. — *Διὸς παῖς.* Dei filius audit aurum, quatenus ejus materia nulla re laeditur, nunquam interit, sicut et deorum filii nunquam moriuntur, sed immortalitatem consequuntur. Cum delectu autem Jupiter

tanquam auri pater nominatur, quippe praestantissimus inter deos, ut aurum inter cetera metalla. — *Σὴς* animalculum vestes rodens, *tinea*. cf. *Hesych.* h. v. Exstant etiam alia parvorum insectorum, ligna, coria cet. corrodentium genera, quae secundum diversas, in quibus vivunt, materias diversa obtinent nomina, ut *δὴξ*, *ἶψ*, *τρὼξ*, *κὶς*, *θρὶψ*, *ἴξ*. cf. *Tzetz.* ad *Hesiod.* *Ἔργ.* 420. Inter haec *κὶς*, quod etiam in *Sapphone* occurrit, est istud animalculum, quod frumentum corrodit. *E. M.* *κὶς θηρίον ἐςὶν ἐσθίων πυροὺς καὶ κριθάς.* Latinis audit *curculio.* Ab aliis aurum ita commendatur, ut rubigine non laedi dicatur, v. c. a *Theognide* v. 443. p. 19. *Poet. Gnom. Brunck.* Ea ipsa de re *Nostram* alio loco aurum encomio ornasse, docet *Pausanias Arcad.* c. 18. T. II. p. 404. *Fac.*, cum dicit: *καί τοί γε καθαρεύειν γε τὸν χρυσὸν ὑπὸ τοῦ ἰοῦ, ἥ τε ποιήτρια μάρτυς ἐςὶν ἡ Λεσβία, καὶ αὐτὸς ὁ χρυσὸς ἐπιδείκνυσιν.* — *Βροτέαν φρένα* cet. Haec quomodo vulgo concipiuntur, sensu carent. Libenter ideo *Valckenarii* (ad *Ammon.* p. 102. sq.) pressi vestigia, *δάμναται δὲ βροτέαν φρένα κράτιςον ἀφένων* rescribere jubentis, in quibus tamen metri causa nonnulla erant immutanda. vid. infr. *Δάμναται* apud *Sapphum* exstitisse, *Plutarchi* quoque l. c. quamvis vitiosa probat

lectio. — *Ἀφένων* jam proposuit *Scaliger.* Nihil auro in hominem majorem habere vim, saepius a veterum scriptoribus dictum, e. g. a *Menandro* ap. *Stob. Flor.* XCII. p. 375. *Grot.*, et ab *Ovidio Amor.* III. 8. 29. — Metrum est trochaicum:

Διὸς παῖς ὁ χρυσός·
Κεῖνον ὐ σὴς ὐδὲ κὶς δάπται, βρο-
τέαν δὲ
Δάμναται φρένα κράτιςον ἀπφέ-
νων. —

Βροτέαν δισυλλάβως pronuntiandum in metiendo versu. — *Ἀπφένων* Aeolice pro ἀφένων, ut σκύπφος pro σκύφος et similia. *Brunckius* (*Anal.* I. p. 57.) posteriorem fragmenti partem sic constituit: βροτέαν φρένα κάλλις' (haec vox in *Ursino* legitur) εὐφραίνων.

Ex Scholiaste Sophoclis.

LIX.

Scholiastes Sophoclis ad Electr. 148. T. III. p. 105. Br. καὶ Σαπφώ·

Ἦρος ἄγγελος ἱμερόφωνος ἀηδών.

Veris nuntia suaviter canens luscinia. — Verba etiam occurrunt ap. *Suid.* v. ἀηδών. Alias hirundo audit veris nuntia. cf. *Simonid.*

ap. *Schol. Aristoph.* ad Aves 1410. — Metrum est Aeolicum.

Ex Scholiaste Aristophanis.

LX.

Scholiastes Aristophanis ad Plut. 729. *ἡμιτύβιον ἀντὶ τȣ̃ σȣδάριον, ῥάκος ἡμιτριβὲς λινȣ̃ν τι, οἷον ἐκμαγεῖον· καὶ Σαπφώ·*

Ἡμιτύβιον ϛαλάσσων.

ἢ δίκροσσον φακιόλιον. — *Ἡμιτύβιον*, si fides habenda *Polluci* VII. c. 16. §. 71., fuit verbum Aegyptiacum: significare saltem pannum lintei crassioris, vel sudarium, plures sibi consentiunt. Id vel patet ex *Aristophanis* loco laudato. Vide tamen sis *Wolf.* ad *Sapph.* p. 242. — Verba *ἢ δίκροσσον φακιόλιον* multi et ipsius etiam poetriae putant; equidem pro interpretamento *Scholiastae* habuerim.

Ex Eustathio.

LXI.

Eustathius ad Od. *β.* v. 111. p. 247, 20. *ἀπὸ δὲ τȣ̃ ῥηθέντος Ἀδμήτȣ σκολιόν τι ἐν Ἀθήναις ᾀδόμενον, ὡς καὶ Παυσανίας φησὶν ἐν τῷ οἰκείῳ Λεξικῷ, λέγων· ὡς οἱ μὲν Ἀλκαίȣ φασὶν αὐτὸ, οἱ δὲ Σαπφȣ̃ς, οἱ δὲ

Πραξίλλης τῆς Σικυωνίας. Ἀρχὴ δέ τȢ μέλȢς αὕτη·

> *Ἀδμήτȣ λόγον, ὦ 'ταῖρε, μαθὼν,*
> *τȣ̀ς ἀγαθȣ̀ς φίλει, τῶν δειλῶν δ' ἀπέ-*
> *χȣ, γνȣ̀ς, ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις.*

Dictum de Admeto, o amice, cognoscens, bonos ama, malis autem te abstine, probe recordans, malorum esse exiguam gratiam. — Fragmentum etiam legitur ap. *Athenaeum* XV. p. 695. C. Quamvis incertum sit, an *Alcaeum*, *Sapphum* vel *Praxillam* habeat auctorem, vel sic tamen a nobis non fuit praetereundum. — *Ἀγαθοὶ* h. l. sunt *fortes*, sicut *δειλοὶ* e contrario *homines ignavi.* — *Χάρις* scil. *πέλεται.* — Metrum est choriambicum cum basi:

> *Ἀδμήτȣ λόγον, ὦ 'ταῖρε, μαθὼν, τȣ̀ς*
> *ἀγαθȣ̀ς φίλει,*
> *Τῶν δειλῶν δ' ἀπέχȣ, γνȣ̀ς ὅτι δειλοῖς*
> *ὀλίγα χάρις.*

Δειλοῖς, quod *Athenaeus* exhibet, melius sane placet, quam *δειλῶν.*

LXII.

Eustathius ad Il. *ϑ.* 551. p. 360, 43. *καϑὰ καὶ ἡ Σαπφώ πȣ φησίν·*

Ἀϛέρες μὲν ἀμφὶ καλὰν σελάναν ἂψ ἀποκρύπτουσι φαεινὸν εἶδος, ὁπόταν πλήθοισα μάλιϛα λάμπῃ γᾶν.

Stellae quidem circa pulchram lunam retro abscondunt fulgidam faciem, tum maxime, quum plena terram illustrat. — Ὁπόταν. De hujus particulae cum conjunctivo constructione vid. *Viger.* de *Idiot.* cap. VII. §. 10. p. 436. *Zeun.* — Sensum expressit *Horatius Carm.* I. 12. 46.

micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Cf. etiam *Fragm.* CIX. — Metrum deprehendi manifestum Sapphicum hendecasyllabum, cujus in systemate ultimae tantum desunt syllabae:

Ἀϛέρες μὲν ἀμφὶ καλὰν σελάναν
Ἄψ ἀποκρύπτουσι φαεινὸν εἶδος,
Ὁππόταν πλήθοισα μάλιϛα λάμπῃ
Γᾶν. —

Ὁππόταν duplicato π reponere versus suadebat, probante jam, ut posthac intelligebam, *Koenio* ad *Gregor. Corinth.* p. 276.

Ex Polluce.

LXIII.

Pollux Onomast. VII. c. 16. §. 73. ἐν δὲ τῷ πέμπτῳ τῶν Σαπφοῦς μελῶν ἐστιν εὑρεῖν·

Ἀμφὶ λάβροις λασίοις εὖ ἐπύκασσε.

Multis circa villosis pannis bene obtexit. — Fragmentum igitur hoc secundum *Pollucem* in *Sapphus* odarum libro exstabat quinto. — *Λάβρος* h. l. idem quod *πολύς*. cf. *Hesych.* h. v. — *Τὸ λάσιον* proprie elliptice dictum, supplendum scilicet ὕφος, adeoque *textile villosum. Pollux* de hac voce post *Sapphus* verba apposita ita: *καί φασιν εἶναι ταῦτα σινδόνια ἐπεστραμμένα.* — Metrum sive fuit ionicum a majore cum basi, sive dactylicum asynarteton; ultima vox ob hoc duplici saltem σ efferenda, ut nos dedimus, cum in vulgatis *ἐπύκασε* compareat.

LXIV.

Pollux VII. c. 22. §. 93. *τὰ μέντοι Τυῤῥηνικὰ εἴη ἂν ὁ Σαπφοῦς μάσθλης* (ita enim corruptum Pollucis locum emendandum censeo):

Ποικίλλος μάσθλης, Λύδιον καλὸν ἔργον.

Μάσθλης calceamenti quoddam genus, ex *Pollucis* sententia idem forsan quod *τὰ Τυῤ-ῥηνικά*. — *Καλὸν* rescripsi pro vulgari *κα-κὸν*, quae lectio nullius sane pretii, cum poetria hic potius videatur commendare velle calceamenti genus, de quo loquitur. — Metrum erit dactylicum, si, ut nos fecimus, *ποικίλλος* duplici *λ* effertur.

LXV.

Pollux X. c. 27. §. 124. *πρώτην δέ φασιν χλαμύδα ὀνομάσαι Σαπφὼ ἐπὶ τȣ̃ ἔρωτος εἰπȣ̃σαν·*

Ἐλθόντ' ἐξ ὀρανῶ, πορφυρέαν
ἔχοντα προϊέμενον χλάμυν.

Coelitus venientem, purpuream volitantem habentem chlamydem. — *Ὀρανῶ*. Vulgata lectio est *ȣ̓ρανȣ̃*, quam *Jungermannus* mutabat in *ὠρανῶ*. Nostrum *Hemsterhusii* Codd. exhibebant; vid. ejus notas ad *Pollucis* loc. laudat. — *Πορφυρέαν*. Graeci purpureum in vestimentis exterioribus valde amabant colorem; proinde saepius *χλαῖνα πορ-φυρέη* ap. *Homerum*. cf. *Polluc*. VII. c. 13. §. 46. et 48. Ap. *Stephan. Poett. Lyrr*. p. 60. legitur *πορφυρᾶν*. Invenitur vel *πορφυ-ρίαν*, quod vero Graecum non est. — *Προ-ϊέμενον*. *Scaliger* ad *Catull*. p. 101. perhibet *πρωῒ ἔμενον*, sensu neutiquam perspi-

cuo. *προϊέμενος χλαμὺς* est potius chlamys *volitans*, imago sane rectissima de Amore coelitus veniente, et aerem secante, cujus vestis volatus nisu in varias movetur partes et circum corpus volitat, aeque ac videre est in Mercurii iconibus, quas, si tanti est, adspice. — *Χλάμυν.* Hanc vocem prima induxit *Sappho*, si fides habenda *Polluci* et *Ammonio* h. v. Ni autem egregie fallor, poetria verbum posuit de tenui et molli veste exteriori, qualis quippe convenit Cupidini. Athenienses equitum vestem nominasse *χλαμύδα*, *Pollux* asserit. *Ammonius* vero distinguit inter *χλαῖναν* et *χλαμύδα*, illam heroicum dicens esse indumentum, hanc Macedonicum, sexcentis annis post heroum tempora demum sic dictam, et id quidem auctore *Sapphone*. Notandum omnino hoc loco, Amori, quem vulgo nudum effingunt, vestem tribui. Fecit tamen idem *Catullus Carm.* LXVIII. 132.:

Quam circum cursans hinc illinc saepe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.

in quibus forsan *Sapphum*, quam alias imitatum esse constat, ante oculos habuit. Ceterum pro *χλάμυν* alias quoque legitur *χλαμύδα.* — De metro aliquid affirmare non ausim.

Ex Servio.

LXVI.

Servius ad Virgil. Georg. I. 31. *Generum pro marito positum multi accipiunt, juxta Sappho, quae in libro, qui inscribitur ἐπιθαλάμια, ait:*

Χαῖρε, νύμφα, χαῖρε τίμιε γαμβρὲ
πολλά.

Gaude sponsa, gaude multum honorande sponse. — Hoc fragmento chorus juvenum et virginum epithalamium canentium fausta deprecatur recens nuptis. Χαίρειν hic *felicem esse.* In sensum cf. *Theocr. Idyll.* XVIII. 49.

Χαίροις, ὦ νύμφα, χαίροις, εὐπένθερε γαμβρέ.

Metrum est pure Sapphicum, sic:

Χαῖρε,
Νύμφα, χαῖρε τίμιε γαμβρὲ πολλά.

Ex Scholiaste Apollonii.

LXVII.

Scholiastes Apollonii Rhodii ad Argonaut. I. 727. p. 73. ed. Hoeltzlin. ἐρευθήεσσα δὲ

ἀντὶ τοῦ πυῤῥὰ, ὑπέρυθρος. καὶ ἔςι παρὰ τὸ Σαπφικόν·

Παντοδαπαῖς μεμιγμένα χροιαῖσιν.

Omnigenis permista coloribus. — Probabile est, *Sapphum* hic loqui de Iride, in quam ea quae dicta sunt egregie conveniunt. — Versus forte fuit asynartetus, ex choriambo et iambis compositus.

LXVIII.

Scholiastes Apollonii ad Argon. I. 1123. p. 116. *χεράδες λέγονται οἱ μικροὶ σωροὶ τῶν λίθων. φησὶ Δημήτριος ὁ Σκήψιος τὴν διάλεκτον Ἀπολλωνιατῶν εἶναι, τῶν ἐν Πόντῳ. μνημονεύει καὶ Σαπφώ·*

Μὴ κίνει χεράδας.

Fragmentum quoque legitur apud *auctorem Etymol. M.* v. *χεράδες.*

Ex Etymologico Magno.

LXIX.

Etymol. M. v. *ἀβακής. κέχρηται δὲ αὐτῷ Σαπφὼ, οἷον·*

Ἀλλά τις οὐκ ἔμμεν παλιγκότων
ὀργάνων, ἀλλ' ἀβακὴν τὰν φρένα ἔχω.

Ἔμμεν. Infinitivus hoc loco sensum non praebet idoneum. Legendum potius *ἔμμι,* ut

jam *Ursinus* videbat. *Vossius* ad *Catull.* p. 213. initium fragmenti exhibet ita: *ζαλᾶτις ἐγ᾽ ὀκ ἔμμι*, quod unde petierit, non dicam.— *Παλιγκότων.* *Hesychius: παλίγκοτα, ὀργίλα.* *Ursinus* emendabat *παλίγκοτος.* Optime idem *ὀργὰν* pro vulgari *ὀργάνων.* — *Φρὴν ἀβακὴς* ingenium quale habere solet infans, i. tranquillum et placidum. Vulgata lectio *ἀβακὴν* male se habet, verbum enim pertinet ad tertiam declinationem. Repone igitur *ἀβάκη.* — Metrum est choriambicum:

Ἀλλά τις ὀκ ἔμμι παλίγκοττος ὀργὰν,
Ἀλλ᾽ ἀβάκη τὰν φρέν᾽ ἔχω. —

LXX.

Etymol. M. v. *ἄωροι. καὶ Σαπφώ·*

Ὀφθαλμοῖς δὲ μέλας χύτ᾽ ἄωρος.

Μέλας epitheton somno quam maxime conveniens, cum, oculis clausis, omnia circum nos sint obscura. *Pindarus Pyth.* I. 13. sqq.

κελαινῶ-
πιν δ᾽ ἐπί οἱ νεφέλαν
Ἀγκύλῳ κρατὶ, βλεφάρων
Ἁδὺ κλαΐστρον, κατέχευας.

Χύτ᾽. Somnus homini *ἐπιχεῖσθαι* nota forma poetica dicitur. cf. *Heyn.* ad *Hom. Il. β.* 19. — *Ἄωρος.* Hujus verbi caussa *auctor Etymologici* nostrum fragmentum servavit,

exemplo scilicet probaturus, idem sonare *ὦρος* et *ἄωρος*. Prioris vocis usum ex *Callimacho* demonstrat. Verba ejus pleniora haec sunt: *ὦρος καὶ ἄωρος κατὰ πλεονασμὸν τοῦ α μηδὲν πλέον σημαίνοντος. ὦρος γὰρ ὁ ὕπνος. Καλλίμαχος* (*Fragm.* CL. Tom. I. p. 501. *Ernest.*)· *Πολλάκι καὶ κανθῶν ἤλασα ὦρον ἄπο. καὶ Σαπφώ· Ὀφθαλμοῖς κ. τ. λ.* — Metrica ratio fuit dactylica tetrametra.

LXXI.

Etymol. M. v. *δαύω. Δαύω τὸ κοιμῶμαι. Σαπφώ·*

Δαύοις ἀπαλᾶς ἑτάρας ἐν στήθεσιν.

Δαύω. Herodianus Grammaticus hanc vocem semel tantum apud *Sapphonem* exstare tradebat, ut idem *auctor Etym. M.* ait. — Metrica ratio est anapaestica.

LXXII.

Etymol. M. v. *ἐμπάζω. Ἐμπάσσω καὶ αἰολικῶς ἐμπάζω· τὰ γὰρ δύο σσ εἰς ζ τρέπουσιν Αἰολεῖς· τὸ γὰρ ἐπιπλήσσω, ἐπιπλάζω. Σαπφώ·*

Τὸν δ' ἐπιπλάζοντ' ἄνεμοι φέροιεν.

Ἐπιπλάζειν Aeolibus dici pro *ἐπιπλήσσειν* etiam asserit *Gregor. Corinth.* p. 288. *Koen.* — *Ἄνεμοι φέροιεν*, i. e. *ille absit a nobis.* Sic et alibi *τοῖς ἀνέμοις τι διδόναι φέ-*

ϱεῖν dicitur is, qui rem aliquam a se removere studet. — Metrum est Sapphicum hendecasyllabum.

LXXIII.

Etymol. M. v. θείομεν. "Ὥσπερ δαμῶ, δαμείω, ὅτω θῶ, θέω. καὶ παρὰ Σαπφοῖ·

"Οττινας γὰρ εὖ θέω, κεῖνοί με μάλιςα σίνονται.

Quos enim bene colloco, illi maxime me laedunt. — "Οττινας dicunt esse Boeoticum pro ὅστινας. — Εὖ τιθέναι nihil aliud nisi *in statum felicem extollere* significat. — Metrum iterum Sapphicum puto fuisse:

ὄττινας γὰρ
Εὖ θέω, κεῖνοί με μάλιςα σίνοντ᾽.

Ex Prisciano.

LXXIV.

Priscianus ap. Putsch. p. 723. Δαρεὺς pro Δάρης, ut Sappho:

Ὁ Δαρεὺς φὴν, εἶχεν ἄφεταν ἀγνῇ βίᾳ.

Δαρεύς. Quis homo iste fuerit, aliunde non constat. — Ἄφετον potest vel neutrum nominativi, vel masculinum accusativi esse. Cum substantivum, ad quod pertinebat, non habeamus, sensus fragmenti obscurus prorsus manet. — De metro taceo.

Ex Dione Chrysostomo.

LXXV.

Dio Chrysostomus Orat. XXXVI. T. I. p. 128. Reisk.

Μνάσασθαί τινα φάμη καὶ ἕτερον
ἀμμέων.

πάνυ γὰρ καλῶς εἶπεν ἡ Σαπφώ.

Μνάσασθαι. Aoristus h. l. pro futuro positus ex nota enallage. cf. *Zeun.* ad *Viger.* p. 210. a. — *Φάμη* sensum hic non praebet. Probe *Casaubonus* restituit *φαμί.* — *Ἕτερον.* Nec hoc satis mihi placet, sensus et metri causa, quod ex manifestis vestigiis est Aeolicum tetrametrum. Emendo igitur *ὕςερον.* *τινὰ ὕςερον* autem poetice loco *τινὰ ἐκ τῶν ὑςέρων*, *aliquem ex posteris.* Verba correctiora erunt ideo haec:

Μνάσασθαί τινα φαμὶ καὶ ὕςερον
ἀμμέων.

In sententiam faciunt versus *Hesiodi,* quos *Dio* statim deinceps proponit:

Φήμη δ' ὄτις πάμπαν ἀπόλλυται,
ἥντινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίζουσι· θεός νύ τίς ἐςι
καὶ αὐτή.

Cf. et *Tullii Laureae Epigr.* III. T. II. p. 91. *Anth. Jacobs.*, *Ovid. Metam.* XV. extr.

Ex Apollonio Dyscolo.

LXXVI.

Apollonius Dyscol. de Syntax. III. p. 288. Sylb. *Τό γε μὴν ἐρᾶν ὁμολογεῖ τὸ προσδιατίθεσθαι ὑπὸ τοῦ ἐρωμένου· διὸ καὶ δεόντως ἡ Σαπφὼ ἐπιτεταμένῳ μᾶλλον ὀνόματι ἐχρήσατο·*

Ἐγὼ δὲ καὶ ἡ νοττῶτις ἐρᾶται.

Νοττῶτις Aeol. pro *νεόττις*, *parvula, puella.* — *Ἐρᾶσθαι* de vehementiori amore dictum, qualis evenit inter amasios, fortius quam *φιλεῖν.* — Versus videtur asynartetus, ex iambico et dactylico compositus.

LXXVII.

Apollonius Dyscolus in Grammatica inedita, ex qua Vossius excerpta fecit, quae Reitzius ad calc. Maitt. de Dial. in vulgus edidit, ubi vid. s. artic. *ἐγώ.* p. 421. *Αἰολεῖς ἐγὼν βαρέως·*

Ἐγὼν δ' ἐμαυτᾶς τοῦτο σύνοιδα. — *Σαπφώ.*

Metrum iambici trimetri habet speciem. *σύνοιδα* nempe proprie in medio per digam-

ma puto scriptum esse: *σύνϝοιδα.* Verbum autem sequens incipiebat a duplici consona; vel, nisi hoc erat, a vocali longa, seu ob positionem producta: tum vero *σύνοιδ'* scribendum.

LXXVIII.

Apollonius Dyscolus ib. s. art. *ἐμοὶ, σοὶ, οἶ.* *Σοὶ Ἀττικῶς, Ἴωνες, Αἰολεῖς·*

Σοὶ δ' ἐγὼ λευκᾶς ἐπίδαμον αἶγος
[Μῦθον λέξω.]

Σαπφώ.

Ἐπίδαμον. In Grammat. MS. vitiose exstat *ἐπίδωμον.* — *Αἶγος.* Innuit *Nostra* forsan capellam Amaltheam, cujus uber Jupiter puerulus exsuxit; id quod eo magis sese commendat, si substantivum ad *ἐπίδαμον* pertinens recte per *μῦθον* supplevi: fabula enim de ista capella optimo jure poterat nominari *ἐπίδημος*, *Graecorum religioni domestica.* — Metrum est Sapphicum hendecasyllabum.

LXXIX.

Apollonius Dyscolus ib. s. art. *περὶ πληθυντικῶν πρωτοτύπων* p. 429. *Αἰολεῖς ὔμμες·*

Οὔτι μοι ὔμμες ἆς θέλετ' ὔμμε.

δευτέρῳ Σαπφώ.

Υ̓́μμε scil. *εἶναι ἐμοί· non mihi estis tales, quales vos esse vultis.* Forsan hoc sibi voluit

Nostra: vos amicas mihi esse optatis, ego autem tales vos non agnosco. — Haud satis scio, an versus fuerit asynartetus, ex trochaico et logaoedico junctus, aut Ionicus potius a majore trimeter.

LXXX.

Apollonius Dyscolus ib. s. art. *περὶ τῆς σφὶν* (nam ita legendum pro *σφὸς*) p. 431. *Συρακόσιοι ψίν. Ἡ διὰ τȣ̃ ψ γραφὴ ἐπὶ πλήθȣς τασσομένη οἰκειοτέρα τῆς διὰ τȣ̃ σφ. καὶ σὺν τῷ α λέγεται παρ᾽ Αἰολεῦσιν·*

Ὄτα πάννυχος ἄσφι καταγρεῖ.

Σαπφώ.

Ὄτα est pro *ὄττα, ὄσσα.* — *Καταγρεῖ, καθαιρεῖ, καταλαμβάνει. Hesychius.* — Metrum est Aeolicum.

LXXXI.

Apollonius Dyscolus ib. s. art. *περὶ τῆς ἡμᾶς* p. 431. *Ἄμμε Δωριεῖς·*

Ἆδ᾽ ἄρ᾽ ὀπτᾶς ἄμμε —

Σαπφὼ α.

Ex libro adeo primo Odarum hic versus est depromtus. — *Ἆδε* i. q. *ἧδε, hic, hoc loco. Sappho* forsan digito pectus suum monstrabat, in quo scilicet cujusdam amore misere cruciabatur. — *Ὀπτᾷν* tropice dictum pro *vehe-*

menti amore implere. cf. *Theocrit. Idyll.* VII. 55. Simili modo Latini *torrere.* cf. *Horat. Carm.* III. 9. 13.

Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti.

Ἄμμε. De se ipsa in plurali loquitur *Nostra*, ut saepius scriptores. — Versus videtur initium Sapphici.

LXXXII.

Apollonius Dyscolus ib. s. art. *περὶ τῆς ὅς* p. 432. *Αἰολεῖς μετὰ τοῦ F πλεονοσυλλαβεῖν κατὰ πᾶσαν πτῶσιν καὶ γένος·*

Τὸν Fὸν παῖδα καλεῖ.

Σαπφώ.

Vulgo poetriae nomen uno tenore conjungitur cum *καλεῖ*, sed vitiose. — *Fὸν.* Ita legendum pro vulgari *ἑὸν* monet *Clariss. Heynius Excurs.* II. ad *Il. υ.* 384. T. VII. p. 710.

LXXXIII.

Apollonius Dyscolus ib. s. art. *περὶ τῆς ἡμέτερος* p. 433. *Αἰολεῖς ἀμμέτερον, καὶ ἄμμον, καὶ ὔμμον, καὶ σφόν. Σαπφώ·*

Ἐμὲ τιμίαν ἐποίησαν, ἔργα τὰ σφὰ
δοῖσαι.

Me insignem reddiderunt, opera sua dantes.

Ἐποίησαν. Subjectum Musas oportet fuisse, quae carminibus re vera celebrem et honoratam reddebant *Sapphum*. *Hesiodus* *Ἐργ.* 1.

Μοῦσαι Πιερίηθεν, ἀοιδῆσι κλείουσαι.

Ἔργα Μοισῶν quae sint, facile intelligitur, *carmina* puta, quorum componendorum potestatem faciunt iis, quos amant. In MS. *Vossii* vitiose scriptum fuit *ἐρτατα* et *δοισας*. — *Σφὰ* pro *σφέτερα*. *Wolfius* post hanc vocem comma posuit. Ego illud delevi, et ante *ἔργα* incidi, quo facto sensus multo expeditior existit. — Metrum videtur trochaicum:

ἐμὲ
Τιμίαν ἐποίησαν, ἔργα τὰ σφὰ δοῖσαι.

Ex Choerobosco.

LXXXIV.

Cheroboscus s. artic. *περὶ τῶν εἰς ω θηλυκῶν*, in Aldi Manutii Cornu Copiae p. 268. B. *καὶ παρ' αὐτῇ τῇ Σαπφοῖ·*

Μάλα δὴ κεκορημένη στοργᾶς.

Valde re vera satiata amore. — *Στοργὴ* est amor naturalis inter cognatos (cf. e. g. *Epigr. ἀδέσποτ.* in Medeae statuam T. IV. p. 181.

Anth. Jacobs.), sicut ἔρως de amore inter amasios eveniente dicitur. cf. *Fragm.* LXXVI. Ceterum in *Aldo* legitur κεκορημένυ ςόργος. Verba emendatiora praebet *Wolfius* p. 154. — Metrum videtur choriambicum aut anapaesticum fuisse:

Μάλα δὴ κεκορημένη
Στοργᾶς. —

Ex Strabone.

LXXXV.

Strabo I. p. 69. edit. Almelov. καὶ Σαπφώ·

Ἤ σε Κύπρος, ἢ Πάφος, ἢ Πάνορμος –

Poetria adloquitur Venerem, ut patet ex nominibus Κύπρος, Πάφος, Πάνορμος, tanquam locis, quorum de duobus prioribus satis constat, ibi Venerem religiosc esse cultam. — Ἤ σε cet. Quod excidit verbum, forsan fuit ἔχει, saltem ea occurrit loquendi ratio, ut locus, in quo quis versatur, eum *habere* dicatur. Sententiarum nexus ita fingi possit: *adsis mihi, o Venus, et loca tibi grata jam relinquas, sive verseris in Cypro, Paphi aut Panormi.* — Πάνορμος. Exstant plura ejusdem nominis loca. cf. *Cellar. Notit. Orb. Ant.* T. I. p. 799. 936. 1031. Quem eorum

Nostra innuat, non dixeris, cum aliunde non constet, Venerem in aliquo illorum habuisse sacrarium. — Versus est Sapphicus hendecasyllabus.

Ex Stobaeo.

LXXXVI.

Stobaeus Floril. Tit. IV. de amentia p. 52. Gesn. p. 29. Grot.:

Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι, οὐδέποτε μναμοσύνα σέθεν ἔσσεται, ὐδέποκ᾽ ὕϛερον. Οὐ γὰρ μετέχεις ῥόδων, τῶν ἐκ Πιερίας· ἀλλ᾽ ἀφανὴς κὴν Ἀΐδα δόμοις φοιτάσεις. Οὐδεὶς δέ σε βλέψαι παῖδ᾽ ἀμαυρῶν νεκύων ἐκπεποταμέναν.

Hujus fragmenti lectiones variant quam maxime, in ejusque metro constituendo diversas vias ingressi sunt viri docti. Primus ad metricas leges illud revocare conatus est *Ursinus Carm. Poetr.* p. 12., cujus postea rationes iniere *Wolfius*, *Brunckius*, alii. Hi quippe omnes fragmentum dispescunt per octo versiculos, quorum unusquisque fere aliud continet metrum. *Grotio* contra (ad *Stob.* p. 520.) placuit, fra-

gmentum totum ad *Alcaicum* metrum referre, (debebat potius *choriambicum* dicere) idque, haud dubie ceteris praestans, arripuit et *Mitscherlichius* in notis ad *Horat. Carm.* I. 4. 17., cujus tamen consilium in ordinandis versibus non ubique probare potui. Mihi nempe illi sic videntur constituendi:

Κατθανοῖσα δὲ κείσεαί ποτε, καὶ
μναμοσύνα σέθεν
Ἔσσετ' οὐδέποκ' αὖ ὕςερον· οὐ γὰρ
πεδέχεις ῥόδων,
Τῶν ἐκ Πιερίας· ἀλλ' ἀφανὴς κὴν 'Αΐδα
δόμοις
Φοιτάσεις, πεδ' ἀμαυρῶν νεκύων ἐκ-
πεποταμένα.

Etiam *Aristides Orat.* *περὶ παραφθέγμ.* T. II. p. 377. *Jebb.* et *Plutarch. Praecept. Conjug.* T. VII. p. 430. *Hutt. Sapphus* verba, at valde mutila, apponunt. Poemation apostrophen ad mulierem divitem, sed indoctam eandem, cui in morte oblivionem inter homines vaticinatur poetria, continet. — *Δέ.* Haec vox demonstrat, fragmentum esse nostrum carmen, et alia jam ante primum versum superstitem a poetria in mulierem divitem esse conscripta, ex quibus idearum nexum verisimili quadam ratione ita restituere possimus:

Mulier tu quidem es magnis divitiis ornata, ac eam ob causam intolerabili superbia efflata, meque parum prae te aestimas, quia sum pauper; sed tamen ob ingenii stuporem prorsus es ignobilis inter homines, et quondam, ubi mortua eris, nulla amplius tui erit mentio, oblivio citius te abripiet, et aeque ignobilis in orcum intrabis, ac in terra eras. Ast ego carminibus meis vivam in secula seculorum. — *Κείσεαι* h. l. habet notionem aliquam secundariam, sensu scilicet viliori dictum: *sine gloria, obscure jacebis in sepulcro tuo,* ut etiam nos vulgari sermone: *Du wirst da nun wohl liegen. Grotius* κεῖσ᾽ (i. e. κεῖσαι) in praesenti, minus venuste ob sequentia futura ἔσσεται et φοιτάσεις. — *Ποτὲ καὶ* recte *Cl. Mitscherlichius* in hunc locum reposuit, nam vulgatum οὐδέποτε μναμοσύνα, et *Brunckii* ὀὐδέ τι μναμοσύνα metrum choriambicum non fert. — *Οὐδέποκ᾽* alii separant in οὐδέ ποκ᾽. *Grotius* οὐδέ ποτ᾽. — *Αὖ* invexit *Mitscherlichius*, metro flagitante. Vox facile intercidere poterat, si amanuensis aliquis τὸ α referebat ad antecedens ποκ᾽, τὸ υ vero ad sequens ὕςερον, hancque litteram vitio scribentis bis appositam putans, primum eam, tum vero etiam, hiatus tollendi causa, alteram, τὸ α puta, abjiciebat ac ita errorem propagabat. *Grotius* εἰς ὕςερον conjiciebat.

V. 2. 3. Redditur jam ratio, cur foeminae divitis memoria post mortem futura sit nulla: *quia es rudis ingenii, ac poeseos imperita.* Cogitandum est, poetriam eo simul dicere voluisse: *ego contra post mortem in omnium ore versabor, quia litterarum ac poeseos sum perita;* nisi enim id in mente habuisset, non sane dixisset, foeminam divitem ea de causa oblivione obrutum iri, quod non fuisset poetria. Id haud dubie relative sumendum, cum alias absurdi quid *Sappho* pronuntiasset, nam omnino puella dives aliis quoque rebus excellere potuisset, quae nomen ejus, quamvis arte poetica non imbutae, posteritati tradidissent post obitum. Sibi ipsi immortalitatem promittit poetria etiam *Fragm.* LXXV. — *Πεδέχεις* Aeol. pro *μετέχεις*, ut v. c. ap. *Pindar. Ol.* XII. 18. *πεδάμειψαν* loco *μετάμειψαν. Ursinus, Neander, Gesnerus, Stephanus* et *Wolfius μετέχεις*, sed Aeolicam formam esse reponendam suadent vestigia trium Codd. *Paris. Plutarchi*, quorum duo *παῖδ᾽ ἔχεις*, tertius *παῖδας ἔχεις*, in qua lectione procul dubio latet vera, quae est *πεδέχεις.* Saepius animadverti, Aeolicum *πεδ᾽* in vetustis scriptorum Graecorum editionibus, nec minus in pluribus Codd. vitiose expressum esse, nam elatum reperi vel per *παιδ᾽* vel *ποδ᾽*. cf. e. g. *Hephaest.* p. 35. 7. ubi in *Alcaei* versu

pro *ποδ' Ἀχιλλέα* emendandum *πεδ' Ἀχιλλέα*, et sic ap. eund. p. 39, 17. *πεδέχοισαν* loco *ποδ' ἔχοισαν* legendum. Pari errore ultimus fragmenti nostri versus est depravatus, ubi vid. not. — *Ῥόδων.* *Brunckius*, alii: *βρόδων.* Duo e *Plutarchi* Codd. ll. *ῥόδον.* — *Ἐκ Πιερίας* scil. *γενομένων.* Pieria regio Macedoniae, patria Orphei, qui primas de Musis ideas ibi intulit, unde hae etiam Pierides audiunt. *ῥόδα ἐκ Πιερίας* sunt igitur rosae, quae a Musis ex Pieria proficiscuntur, idque ex earum horto, qualem, sicut Venus et Gratiae, habere dicuntur a poetis. *Pindarus Olymp.* IX. 39.

Ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι
Κᾶπον. —

Pyth. V. 31.

Γλυκὺν ἀμφὶ κᾶπον
Ἀφροδίτας. —

ib. VI. 1.

— *ἑλικώπιδος Ἀφροδίτας*
Ἄρουραν ἢ Χαρίτων ἀναπολίζομεν.

Plato in *Io.* T. IV. p. 187. *Bip.* *λέγουσι γὰρ δήπουθεν πρὸς ἡμᾶς οἱ ποιηταὶ, ὅτι ἀπὸ κρηνῶν μελλιρρύτων ἐκ Μουσῶν κηπῶν τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσιν.* Carmina ideo sunt vel flores omnino, vel quaedam eorum species, in isto horto florentes et

a poetis decerptae. cf. *Meleagr. Epigr.* I. 56. T. I. p. 1. *Anthol. Jacobs.*

Πολλὰ μὲν ἐμπλέξας Ἀνύτης κρίνα, πολλὰ δὲ Μυρȣ̃ς
Λείρια, καὶ Σαπφȣ̃ς βαιὰ μὲν, ἀλλὰ ῥόδα.

Vide quoque *Pind. Olymp.* VI. 180., IX. 74. *Lucret.* IV. 3. *Horat. Carm.* I. 26. 7. Poetae corollas porro nectunt sibi vel aliis ex istis floribus, i. e. ipsis vel aliis gloriam carminibus parare student. cf. *Pind. Nem.* VII. 113. *Lucret.* et *Horat.* ll. cc. — *Κὴν* pro *καὶ ἐν*, ut ap. *Theocrit. Idyll.* I. 82. *κἤφη* pro *καὶ ἔφη*. *καὶ* autem in *Sapphonis* loco reddendum per *etiam*; facit enim oppositionem ad ea, quae poetria supra in iis, quae periere, de mulieris indoctae *in terris* dixerat ignobilitate. *Eadem sors*, ait, *in inferis tibi accidet.* — *Ἐν δόμοις* loco *εἰς δόμȣς*. — *Φοιτάσεις*. *Gesnerus* in textum quidem recepit *φοίτασις*, sed asterisco verbum illud notavit, et margini inscripsit: *forte φοιτάσεις.*

V. 4. Verba *ȣ̓δεὶς δέ σε βλέψαι*, quae vulgo post *φοιτάσεις* interponuntur, a duobus vero *Stobaei* Codd. Parisinis, quibus *Grotius* utebatur, omittuntur, a manu indocta, quae illud *ἀφανὴς* explicare voluit, profecta, libenter cum *Grotio* putaverim; praebent enim

nec sensum commodum et vehementer languent, tum etiam omnem metricam disturbant rationem, cujus sanandae causa cum *Mitscherlichio* ad lacunam:

Φοιτάσεις - - - - - ὐδέ σε
Βλέψαι παῖς ποτ' —

recurrere necesse esset, quo vero negotio, verbis *ὐδεὶς* (*ὐδὲ Mitscherlichius* de suo) *σε βλέψαι*, quae, id quod summum est, in lacuna etiam frigescunt, ejectis, facile supersedere possumus, — *Πεδ' ἀμαυρῶν* cet. Vulgatum *παῖδ' ἀμ.* est iterum vitiosa scriptura Aeolici *πεδὰ*, de qua supra diximus. *Brunckius* ex *παῖδ' ἀμαυρῶν* effinxit *πέδαυρον* (Aeol. pro *μετέωρον*), sed aeque hoc ac *Mitscherlichii παῖς ποτ'* sensum disturbat. — *Ἀμαυρὸς*, *exilis, tenuis, levis,* notum umbrarum epitheton, quia, ut *Virgilii* (*Aen.* VI. 293.) verbis utar, *volitant sub imagine cava formae.* Add. *Georg.* IV. 471. *Ovid. Metam.* X. 14. *Horat. Carm.* I. 4. 17., 10. 18. — *Ἐκπεποταμένα* scil. ex hac terra ad inferos. Umbrae tanquam exilis substantia semper volant seu volitant in aere. cf. *Homer. Od.* λ. 221. *Virgil. Aen.* I. I.

LXXXVII.

Stobaeus Floril. tit. LXXI., qui inscriptus

est: *quod in nuptiis utriusque aetas sit spectanda* p. 427. Gesn. p. 291. Grot.

Ἀλλ' ἐὼν φίλος ἄμιν λέχος ἄρνυσο νεώτερον,
Οὐ γὰρ τλάσομ' ἐγὼ ξυνοΐκεῖν οὖσα γεραιτέρα.

Sappho aliquem refutat, qui de concubitu eam compellaverat. Vulgo is *Alcaeus* esse putatur, sed multo aptius *Anacreontem,* poetriae amasium (cf. *Diatr.* p. XXIV. sq.), intelligimus, cum prorsus ignotum sit, Alcaeum unquam cum *Sapphone* res habuisse amatorias, et utriusque anni pares fere fuerint. Si autem ad Anacreontem re vera verba facit poetria, qui illa multo fuit veterior (cf. *Diatr.* l. c.), versus sic immutandi, ut *Ursinus* eos ex MSS. restituisse profitetur. Dedit nempe:

Ἀλλ' ἐὼν φίλος ἄμιν, λέχος ἄρνυσο νεώτερος,
Οὐ γὰρ τλάσομ' ἐγὼ ξυνοΐκεῖν νέ' ὖσα γεραιτέρω.

quod et nobis praeferendum videtur. Vocem vero *ξυνοίκεῖν*, apud *Ursinum* sine diaeresi obviam, nos statim per eam adscripsimus, quod metrum choriambicum, in hoc quoque fragmento obvium, illam flagitat. — *Ἀλλ'* h. l. opponentis: *imo potius;* spectat nempe *Ana-*

creontis ad *Sapphum* verba. — *Ἐὼν φίλος ἄμῖν.* Nos fere: *Willst du mein Freund seyn.* — *Λέχος* h. l. *concubitus. λέχ. ἄρν. νεώτ.* autem jocose dicta: *fac te antea juniorem et tunc concubitum concupisce,* pro: *quia non amplius es juvenis, non potes concubitum concupiscere.* Ita saepius, quando alicujus preces furtim refutare cupimus, nos eas tunc expleturos promittimus, si ipse antea rem aliquam effecerit, quam ultra ejus vires facile praevidemus. — *Ξυνοϊκεῖν* primam producit, vel quia τὸ ν pronuntiatione duplicabatur, vel quia voce in media digamma exstabat, hoc modo: *ξυνϜοϊκεῖν*, et ita positio oriebatur. — *Νέα* i. q. *νεᾶνις, puella juvenis.* Ceterum *νε᾽ ὖσα* inter legendum in duas coalescit syllabas.

Loca, in quibus singula e Sappho citantur verba, vel res, quas carminibus tractaverit, commemorantur; adjunctis iis, in quibus scriptores Sapphus verbis aliquid efferunt.

Ex Athenaeo.

LXXXVIII.

Athenaeus IV. p. 182. E.

Εὐφορίων δὲ ὁ ἐποποιὸς ἐν τῷ περὶ Ἰσθμί-

